V. Cl. G.12.43

HUGONIS GROTII

DE

COENÆ ADMINISTARTIONE

UBI

PASTORES non sunt,

Item An semper

COMMUNICANDUM

PER

SYMBOLA?

DISSERTATIO.

Cum diversorum

RESPONSIONIBUS,

Quarum Catalogum versa Pagina exhibebit.

LONDINI: Impensis *B. Tooke*, ad insigne Navis in Cœmeterio *D. Pauli*. 1685.

Imprimatur.

Ex Ædib. *Lamb.* *Sept.* 10. 1685.

Jo. Battely R.R.P. Dom. *Wilhelmo* Archiep. *Cantuar.* à Sacris Domesticis.

V. Cl. G.12.43

HUGONIS GROTII

DE

COENÆ ADMINISTARTIONE

UBI

PASTORES non sunt,

Item An semper

COMMUNICANDUM

PER

SYMBOLA?

DISSERTATIO.

Cum diversorum

RESPONSIONIBUS,

Quarum Catalogum versa Pagina exhibebit.

LONDINI: Impensis *B. Tooke*, ad insigne Navis in Cœmeterio *D. Pauli*. 1685.

Imprimatur.

Ex Ædib. *Lamb.* *Sept.* 10. 1685.

Jo. Battely R.R.P. Dom. *Wilhelmo* Archiep. *Cantuar.* à Sacris Domesticis.

V. Cl. G.12.43

HUGONIS GROTII

DE COENÆ ADMINISTARTIONE

UBI

PASTORES non sunt,

Item An semper COMMUNICANDUM PER SYMBOLA?

DISSERTATIO.

Cum diversorum RESPONSIONIBUS,

Quarum Catalogum versa Pagina exhibebit.

LONDINI: Impensis *B. Tooke*, ad insigne Navis in Cœmeterio *D. Pauli*. 1685.

V. Cl. 2. 12. 43

Dissertatio (*H. Grotii*) de Cœnæ Administratione, &c. P. 1.

RESPONSIO *Dionysii Petavii Aurelianensis* è S. J. de Potestate *Consecrandi* & *Sacrificandi* Sacerdotibus à Deo concessâ, deq; *Communione* usurpandâ. P. 33.

Joan. Clopenburgii ad posteriorem Dissertationis partem, è selectis ejusdem *Clopenburgii* Disputationibus. P. 103.

Henrici Dodwelli de Jure *Laicorum* Sacerdotali, ad Dissertationis partem priorem.

273-197

Ad Lectorem.

DAmus hic, Amice Lector, *singulares aliquot in difficilem* Tertulliani *locum, Dissertationes, nec tamen minùs* momentosum *illum, quàm* difficilem. *Pendet hinc nimirum Ecclesiæ, qualemcunque illam singas, universa* Disciplina. *Eodem redit seu* Monarchicum *Ecclesiarum singularum Regimen agnoscas, cum Orthodoxis; seu* Aristocraticum, *cum Presbyterianis; seu denique cum Independentibus,* Democraticum. *In eo conveniunt omnes, qui saltem aliquam in Ecclesiâ* Potestatem *agnoscunt, in* Excommunicationis *Jure esse constituendam. Atqui nihil illa valeat necesse est, si, quæ hic è* Tertulliano *colligunt Eruditi, ea sint pro Ecclesiæ* Primævæ *Principiis, atque Praxi, concedenda. Denus*

enim

enim arceri *aliquem ab Ecclesiæ* Communione, *& quidem à* legitimâ *arceri Ecclesiæ* Potestate. *Nihil erit cur de ejusdem communione* recuperandâ *admodum laboret; nihil certè quo teneretur ad graviores aliquas, siqua fortè imponerentur,* conditiones, *eo recuperationis nomine, suscipiendas, si vel unius fuissent duntaxat* dici, *nedum tot* Annorum, *quales in* Ecclesiæ Primævæ *disciplinâ legimus; nihil denique quo quis* invitus *posset ad officium* cogi, *si præsertim alieniores à* Christianis *supponamus* Imperatores. *Qui enim* invisibilem & sine Symbolis, *Communionem satis tamen credit ad* salutem; *non est quòd* Symbola *admodum avidève expectat, nedum ut illam* Symbolorum *Communionem durâ aliquâ* conditione *meretur. Quòd si quis illam cepisset impetus* Communionem *saltem aliquam,* (*etiam sine* Necessitate) *expetendi; in prompta tamen esset quo suam illam cupidinem,* (*invitis etiam Ecclesiæ* Officiariis) *expleret. Si enim, ubi*

Sacer-

Sacerdotes non sunt, jam Laicis licet Sacerdotium capessere: Quidni idem liceat, ubi sunt quidem Sacerdotes, qui tamen nolint Officio Sacerdotali satisfacere? Sic fiet, ut qui legitimâ Ecclesiæ Potestate ab ipsâdem Communione pelleretur, ita sibi pateretur damni ut esset potius cur sibi gratularetur, & in lucro poneret. E Laico in Sacerdotium evectus jam se posset (quod antea non licuit) baptizare, jam sibi Symbola Eucharistica ministrare, securus plane de damnatissimis Ecclesiasticæ Communionis recuperandæ conditionibus. Quæ tantæ amentiæ tàm certum est ab Ecclesiæ Tertullianeæ sententiâ fuisse alienæ, quàm certum est exploratumque arctissimam eâ tùm viguisse Disciplinam. Proinde certum est tantùm suo ingenio, tantùm suis conjecturis, indulgere potuisse Viros alioqui eruditissimos, ut Tertulliano dogmata, ita ab Ecclesiâ præcisa ab ejusdem manifestissimis abhorrentia Principiis, assingerent.

2. Non

2. *Non est itaque* Sequela *illa* Tertulliano *ita imputanda quasi illam disertis verbis asseruerit; & tamen ità imputanda, ut ne quidem à* Sequelâ *ipsâ possit prorsùs excusari Nos infrà plenius ostendimus, duntaxat ubi* nullus *esset omnino* Sacerdotum Consessus, *permitti à* Tertulliano *Laicis omnem illam, de quâ agit,* Sacerdotii *Potestatem; proinde nullum esse prorsùs locum* Laicorum *Officiis* Sacerdotalibus *in ditione ab Ecclesiasticis* occupatâ, *nec satis esse Ecclesiasticorum* errorem *in usu clavium ut ipsi ibi claves usurpent* Laici, *nedum ut vis inde aliqua perperam usurpatis clavibus accedat. Ita in* ditionibus occupatis *vim aliquam habebunt Ecclesiæ censuræ, si nec tutò poterint* Symbolis Eucharisticis *Laici* carere, *nec tutò itidem & sine Peccato sibi* administrare, *nec* rata *etiam foret illa administratio. Sic enim foret necessarium ut conditionibus* Ecclesiasticorum *sese permitterent. Ita nullum* SCHISMATICIS *in* Tertulliano

liano *rectè intellecto præsidium. Sed ut* dogmata *illius minùs favebant*; verba *certè atque* ratiocinia *adeo incauta sunt, adeo præter æquum servida, ut plùs videantur innuere, plus inferre, quàm voluit Tertullianus.* Omnes Nos Deus ita voluit (*inquit*) dispositos esse ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus. *Cur* omnes *Sacramentis obeundis aptos esse oportet, etiam minimè peregrinaturos? cur* ubique, *si in ditionibus duntaxat* nondum occupatis, *Sacramenta essent ab iis obeunda? Rectè id necessariò exigebat* causa *ipsa quam agebat hoc in loco* Tertullianus. *Nec enim* tam *admodum vitæ casibus Vitæ* Universæ *aptanda sunt Officia, ut proinde malè* Laicis *in universum* Monogamia *imponenda esset pro* Sacerdotalis *Officii Disciplinâ, si tamen* rarò *Laicis licita essent* Officia Sacerdotalia; *malè minimè peregrinaturis, si in* ditionibus *duntaxat* nondum occupatis. *Porro quicquid voluerit* Tertullianus, *plus certè probat*

quam adduxit ratio, ſiquid tamen probent omnino nimiæ illæ probationes. Si enim, pro Jure *quodam ſuo,* Officia Sacerdotalia, *quo loco nullus eſt* Sacerdotum conſeſſus, *poterunt præſtare* Laici; *nihil video quod obſtet quo minùs eadem Officia præſtare poſſint, etiam ubi adeſt* Conſeſſus, *errante clave,* Excommunicati. Jus *certè* novum *nullum poſſunt ſine* novâ *vendicare* donatione, *nec verò* novæ donationis *aliquam vel ſpeciem exhibet quòd nullus adſit* Sacerdotum Conſeſſus. *Quo ergo* Jure *extra* Conſeſſum *præditi ſunt, eodem ſub* Conſeſſu *gaudeant neceſſe eſt. Proinde, clave errante,* Excommunicatis (*cum ab Eccleſiaſtici Sacerdotii Sacramentis excluduntur*) *nihil erit quod impediet quo minùs redeat illius* Juris *legitimum* Exercitium. *Sic nulla erit obligatio ad ſuſcipiendas Eccleſiaſticæ Communionis oneroſas conditiones. Sic etiam Sequela illa Diſciplinæ incommoda, ut eam* Tertullianus *ipſe nullus agnoſcat; quà*

tamen

tamen datis Tertulliani *Principiis necessariò consequitur, quà commendatior erit apud Adversarios, ab ipso* Tertulliani *nomine, vitiosa illa omnis Argumentatio, commendatiora vitiosa illa (quibus nitiur) Principia ab ipso verbis disertissimis asserta: proinde non est quòd à* Sequelâ *illum penitus excusemus violatæ Ecclesiæ Disciplinæ, quin sit ea quoque ipsi* Tertulliano *aliquatenus imputanda.*

3. *Nec verò melius aut felicius huic incommodo occurrit ipse* Grotius. *Quos putat* Laicos in locis remotissimis Sacerdotio functos, *id* Ecclesiæ permissu *feciſſe existimat, quem utique* cessare simul atq; Presbyteri aliunde haberi, aut ipsi illi Laici ad Ecclesias proficisci, & ibi per Episcopos Presbyteri fieri poterunt: Ita nullum (*inquit*) inde Schismatis periculum. *Fateor equidem* permissa *duntaxat ab* Ecclesiâ *Laicis Officia* Sacerdotalia *nullum creare* Schismatis periculum, *Nihil tamen de eo Ecclesiæ permissu* Tertullianus. *Jus ille Sacerdotii* Laicis

asserit, ut inferius ostendimus, idque verbis disertissimis. Jus nimirum idem quod ipsis tribuerat Ecclesiæ Sacerdotibus. *Nec de* permissu, *sed de* Jure, *procedunt illius Argumenta. Et ut possit in* Ecclesiis occupatis *illiusmodi cessare* permissus, *non est tamen quod de* Juris *cessatione similiter statuamus. Manet enim sæpe* Jus *sublato etiam Juris* exercitio. *At* Juris *Sacerdotalis saltem* exercitium *Laicis ereptum satis esse putabunt Adversarii ad Ecclesiæ occupatæ* Pacem. *Id fortasse aliquâ verisimilitudinis specie, siquam* Obligationem *probare possent quâ etiam in* ditionibus occupatis *teneantur Laici ne* Jura *sua sacerdotalia* exerceant. *Atqui ut* opus *non sit* Sacerdotio *suo fungi* Laicos *ubi adsunt alii qui pro Officio fungantur*; ut etiam indecorum *habeatur atque* inhonestum, *inferioris Ordinis etiam* Sacerdotes *in* iisdem coetibus *etiam* communia *Sacerdotii Jura exequi, ipsa illâ* Ordinis *ratione* Supremis *Sacerdotibus reservatâ*; *at nulla*

erit

erit certè ratio cur in separatis Conventiculis Excommunicati Laici ab Officiis Sacerdotalibus temperandum censeant, siquis ejusmodi Officiorum jura Laicis concedat. Quis enim illum jure reprehendet qui id tantum egerit quod Jure posse agere fatetur? Nec enim est quòd nonnecessaria illa Laici putent Officia, Excommunicati scilicet & ab Officiis Ecclesiasticis exclusi. Nec quòd virtutibus obvenulat Ecclesiæ Ordinem. Quæ enim Jura sua solus Ordinis quod dicitur superioribus in communi Synaxi Sacerdotibus; quid necesse impedit quò minus ipse in separatis Conventiculis exequatur, ubi nullus adest superior Sacerdos, ubi ipse omnium est supremus, ubi ejus Ordinis ratio id ipsum necessario postulat ut solus exequatur? Quòd ab Episcopis Presbyteros, ita vos pendere arbitremur ut ne quidem communia Sacerdotii Officia Presbyteris (Episcopi, in cujus sunt ditione, injussu) permittenda sint; id nos aliunde quàm è commu-

nis

asserit, ut inferius ostendimus, idque verbis disertissimis. Jus nimirum idem quod ipsis tribuerat Ecclesiæ Sacerdotibus. *Nec de* permissu, *sed de* Jure, *procedunt illius Argumenta. Et ut possit in* Ecclesiis occupatis *illiusmodi cessare* permissus, *non est tamen quòd de* Juris *cessatione similiter statuamus. Manet enim sæpe* Jus *sublato etiam Juris* exercitio. *At* Juris *Sacerdotalis saltem* exercitium *Laicis ereptum satis esse putabunt Adversarii ad Ecclesiæ occupatæ* Pacem. *Id fortasse aliquâ verisimilitudinis specie, siquam* Obligationem *probare possent quâ etiam in* ditionibus occupatis *teneantur Laici ne* Jura *sua Sacerdotalia* exerceant. *Atqui ut* opus *non sit* Sacerdotio *suo fungi* Laicos *ubi adsunt alii qui pro Officio fungantur*; ut etiam indecorum *habeatur atque* inhonestum, *inferioris Ordinis etiam* Sacerdotes *in* iisdem cœtibus *etiam* communia *Sacerdotii Jura exequi, ipsa illâ* Ordinis *ratione* Supremis *Sacerdotibus reservatâ*; *at nulla*

erit

erit certè ratio cur in separatis *Conventiculis* Excommunicati Laici *ab Officiis Sacerdotalibus temperandum censeant, siquis istiusmodi Officiorum* Jura *Laicis concedat. Quis enim illum* jure *reprehendet qui id tantum egerit quod* Jure *posse agere fateatur? Nec enim est quòd* nonnecessaria *illa Laici putet Officia,* Excommunicati *scilicet & ab* Officiis Ecclesiasticis *exclusi. Nec quòd violatum obtendat Ecclesiæ* Ordinem. *Quæ enim* Jura *sua solius* Ordinis *causâ cesserat* superioribus *in* communi Synaxi *Sacerdotibus; quid quæso impedit quò minus ipse in* separatis Conventiculis *exequatur, ubi nullus adest* superior *Sacerdos, ubi ipse omnium est* supremus, *ubi ipsa* Ordinis *ratio id ipsum necessariò postulat ut* solus *exequatur? Quòd ab Episcopis* Presbyteros, *ita Nos pendere arbitremur ut ne quidem communia* Sacerdotii *Officia* Presbyteris (*Episcopi, in cujus agunt ditione, injussu*) *permittenda sint; id nos aliunde quàm è* communis

nis Sacerdotii naturâ deducimus. E Sacerdotii nimirum gradibus Juribusque supremi etiam gradûs propriis, è Monarchâ Unitatis Ecclesiasticæ Principio, ex Archetypi Sacerdotii concordiâ, ex Archetypi Pontificis repræsentatione, qui ni legitimè repræsentetur, concidet visibilis Sacerdotii vis omnis atque efficacia, nec verò possit in Monarchæ ditione legitimè ab alio repræsentari quàm ab ipso Monarchâ. Quæ cùm sint Jura in Sacerdotii Laici Hypothesibus nullum prorsus locum habent. Ut ergo nulla sit Adversariorum malignitas, sunt tamen Principia eorum per se ipsa malignissima, quæque proinde meruerint quam videas universam Refutationis diligentiam. Sunt enim ejusmodi quæ naturâ insertum malignè sentientibus.

4. Proinde objectionem movit, ni fallor, omnium Rigaltius, Vir alioqui industrius & rei Criticæ peritissimus, quod verò ad res ipsas attinet, nescio certòne aliquo consilio, parum certè accuratus. Romanam ille profes-

Observ. 19. ad Libros Tertulliani. è Codice MS. Agobardi emendatos.

professus Communionem partes tamen agit plerumque Calvinisticas. Siquid occurrit in Autoribus à se editis quod cum receptis Ecclesiæ moribus, quod cum recepto Ecclesiæ, non suæ modò, sed Universæ, Regimine pugnare videatur, id notat scilicet diligentissimè. Eo id fortasse animo ut Novarum sese Observationum nomine Lectoribus commendaret. Non id certè fecit quod facturus erat Vir æquus & Pacis Ecclesiasticæ studiosus, ut Consequentiis occurreret. Non locos aliis cum aliis, non cum moribus mores, non Principia cum Principiis, contendit, ut ita colligeret, non modò quid sibi velint Autoris verba, sed quid etiam Autor ipse senserit; quid, pro Principiorum suorum tenere, sentire debuerit. In nudis hæret verborum apicibus Rigaltius, difficultatibus, ut plurimùm movendis quàm solvendis attentior. Hæc ille Anno Æræ Christianæ vulgaris MDCXXVIII.

5. Hujus

5. *Hujus observationem justo Libri* (*quem de* Eucharistiâ, *linguâ tamen* Gallicâ, *conscripsit*) *Capite refutare conatus est* Gabriel Albaspinæus *Episcopus* Aurelianensis *Antiquitatis Ecclesiasticæ studiosissimus. Idque eo quidem eventu ut Epistolâ quam eâ occasione dedit ad Episcopum* Rigaltius, *sibi satisfactum esse professus sit, seque, in eâdem, quâ Episcopus, fuisse sententiâ. Est tamen meritò quòd suspicemur non* ex animo *hæc, sed invidiæ amolendæ gratiâ, scripsisse* Rigaltium. *Exarsit enim crevitque indies inter illos inde nata inimicitia. Tandem* Romam *res delata est, scriptisque invicem, modò ab* Episcopo, *modò à* Rigaltio, *Epistolis apud Pontificem agitata, in eam tamen scriptis à* Rigaltio *sententiam, ut* se *potiùs quàm* causam *suam tueri videretur, & vicissim* Episcopum *impugnare quàm* sententiam *ab Episcopo defensam. Suspectum tamen certe de Prævaricatione* Rigaltium *constat habuisse* Grotium. *Finem tandem illi*

liti

liti imposuit, (quæ quidem solet dissidiorum inter mortales esse arbitra) mors Albaspinæi. *Contigit ea A. D. MDCXXX.*

6. *Postea* Rigaltii *causam suscepit noster Anonymus,* Grotius *nimirum ipse, Vir certè Maximus & Catholicæ Pacis studiosissimus, si id unum excepe-ris, quòd fuerit in* Calvinistas *paulo subinfensior. Equidem antea fuisse* Rigaltio *faventiores tam* Grotium *quàm* Salmasium, *ex prædictis* Grotii *constat Epistolis. Cum verò hanc ederet Dissertatiunculam, erat præterea quod* Grotium *hâc saltem ageret in causâ transversum. Moliebatur eo tempore* Grotius *quam dixi* Pacem *Ecclesiarum atque* concordiam. *Egregium profectò conatum (si quidem conciliari posset Pax illa conditionibus* licitis ferendisque;) *& excelsâ Viri indole generosóque dignissimum! Et cum dissidentium inter se Ecclesiarum* Sequestrem *sese atque* Mediatorem *interponeret, nequa interim subesset de partium quarumcunque* studio *verisimilis suspicio; ab omni proinde*

Communione credidit esse temperandum. Id cum periculosissimum videretur atque explicatu difficillimum, ut qui nullius *Ecclesiæ* particularis *Communione foveretur,* Catholicæ *tamen Communionis particeps credi posset; Ut qui ab omni Ecclesiæ Catholicæ, saltem* Visibili (*de quâ solâ nobis judicare concessum est, atque inde de* Invisibili *statuere*) *Communione esset alienus, is interim* Salutem *aliaque* Pacti *Evangelici Divinarumque* Promissionum *jura, quæ tamen ipsis illis* Externæ *Communionis Symbolis transigerentur, sibi posset vendicare: Inde manifestò constat quâ tandem* Causæ *suæ* exigentiâ *ad nova sibi effugia quærenda tantum illud incomparabilis Viri conversum fuerit ingenium. Non aliud illi fuisse consilium è secundâ,* de Communione sine Symbolis, *hujus Dissertatiunculæ parte facilè colligimus. Inde etiam liquet jam alienum à* Calvinianis *hæc scripsisse* Grotium. *Pulsus enim à* Calvinianis *in Exilium ita tandem in hæc* Pacis Universalis *consilia studia-*

que

que conversus est. Quid quòd Anno MDCXXXVIII. quo primùm sunt hæc nostra quæ damus Opuscula ab Autore in lucem emissa; quo Pontificiis favebat magis Grotius, eò certum est Calvinianis fuisse infensiorem. Malè itaque Grotii nomen Autoritatemque venditavit nuperus Interpres Calvinianus qui hæc ipsa vertit Anglicè. Malè hic purum putum Grotium haberi gloriatus est, quasi nimirum, cum hæc scripsit, nec fuisset in Calvinianos animo infenso, nec in Pontificios benevolo. Et tamen siquam Autoritatem conciliavit Adversariis Editione primâ Grotius, eam deiveeps omnem postea Retractatione suâ prorsus abrogavit. Inde discimus & addita fuisse (ab Editore fortasse) nonnulla quæ ipse pro suis ne quidem agnoscere potuerit; & quæ verè sua essent, re tamen melius expensâ, cum à Riveto objicierentur, ipsum nolle defendere. Grotium interea avidè secutus est Novator ipse, novarumque rerum studiosus, Episcopius.

Epist. Resp. ad LXIV. Quæst. 39.

8. *Respondit* Grotio *sequenti Anno MDCXXXIX.* Petavius, *Dissertatione, quam hic subjunximus, satis luculentâ &* Petavio *dignâ, nec id* Pontificiis *modò* Principiis, *quanquam ipse* Pontificius. *Quæ hìc respondet, ea ad Officii Ecclesiastici sanctimoniam commendandam pleraque faciunt, omnium scilicet* Hypotheseon *communem, quæ quidem aliquam in Ecclesiâ* Potestatem *agnoscunt. Quòd tamen* Laicis Baptismi *Potestatem, etiam* Necessitatis *in causâ, concedat; pro suæ id concessit* Ecclesiæ *Moribus, non* Primævæ, *nedum* Tertullianeæ; *ut proinde malè hæc deduxerit ad explicandam sententiam* Tertulliani, *& coævæ* Tertulliano *Ecclesiæ. Id unum* Pontificiæ *Communionis admixtum Principium mirum est quantum universo ejus ratiocinio detraxerit. Inde enim collegit non esse* Baptismum *in Officiorum* Sacerdotalium *numero reponendum. Inde nec* Oblationem *illam quæ* Baptismo *conjungitur, cum* Sacerdotio *propriè sic dicto*

dicto commune quippiam habere. Inde alium aliquem quærendum esse vocis illius sensum quàm (qui maximè obvius esset atque vulgaris) quo S S. denotat Eucharistiæ *Sacramentum. Alienissima nimirum hæc omnia à mente* Tertulliani, *nec tamen* Petavio *propria, sed aliorum quoque plerumque qui* Pontificiam *Communionem profitentur.*

8. *Defendit rursus* Grotii *Interpretationem, Anno MDCXL. sed suppresso utriusque, tam* Grotii *quàm* Rigaltii *nomine,* Walo Messalinus, *magnus ille nempe* Salmasius. *Et quidem illum à* Rigaltio *sensisse testatus est diu antea* Grotius *in Epistolis. Sed non est quòd judicium ejus magni faciamus. Rarò enim ille admodum, siqua forsan omnino, cum magnâ* deliberatione *conscripsit, sed primo plerunque impetu, cum & memoriâ fidissimâ, & fæcundissimo polleret ingenio. Inde est quòd nec modum servet in* Digressionibus, *nec* Sequelis *aut* Phænomenis *plerunque prospiciat. Est tamen in hoc*

ipso

ipso Opere præterea singulare quod æquitatem ejus faciat meritò suspectam. Stylo *usus est* acerbissimo, & *in* destruendo *est, quàm in* astruendo, (*pro Sectariorum more*) *occupatior. Quis est itaque qui miretur si & in alteram potiùs partem aliquando inclinârit, & inculpatæ* tutelæ *moderamen excesserit? Diu est ex quo observavit S.* Hieronymus *aliud esse quod quis asserat δογμαλικῶς, aliud quod ἐριστικῶς. Nec se modò ita lapsum confessus est. Alios plerosque Veteres ejusdem invidiâ Accusationis oneravit.*

Apol. pro Liber. adv. *Jovinian.*

9. Grotio *deinde An. MDCXLII. sese objecerunt è Reformatis* Rivetus *atque* Clopenburgius; *ille quidem obiter, hic selectis (quas hic damus) Disputationibus, quæ tamen postremam duntaxat partem spectant Dissertationis* Grotianæ. *Successit illis Pontificius* Georgius Ambianus *in suis ad* Tertullianum *Annotationibus. Tuetur ille quidem communem Disciplinæ causam, nefas esse siquis* Laicus, *recentioribus Ecclesiæ Seculis,*

Rivet. Apol. num. 45.

Ad lib. *de Exhort. cap.*

Seculis, Sacerdotali *aliquo munere fungatur; ita tamen interim tuetur ut hoc idem* Laicis, *primævo nihilominus* Apostolorum *Seculo, licuisse confirmet. Testesque adhibet* Grotio *prætermissos Pseud*-Ambrosium *atque* Tertulliani *exceptorem* Hieronymum. *Ita fiet ut* Juri *dentaxat* Ecclesiastico *assignandum sit omne hoc* Laicorum Ecclesiasticorumque *munerum discrimen, quod magno redemptum vellent Adversarii. Magis itaque* Adversariis *ille, quàm* Amicis, *accensendus est.*

10. *Ex hac ergo hujus Controversiæ Historiâ & progressu, id satis manifestè constat,* omnes *cujuscunque Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosos hanc causam velut communem susceptisse defendendam, non* Pontificios modò & Episcopalis *in Ecclesiâ* Regiminis *assertores, sed & aliarum Disciplinarum* Sectarios *ab* Episcopatu *alienissimos. Nec videntur interim iisdem se nos petere Argumentis quæ ipsi quoque solvere tenentur,*

&

ipso Opere præterea singulare quod æquitatem ejus faciat meritò suspectam. Stylo *usus est* acerbissimo, & *in* destruendo *est, quàm in* astruendo, (*pro Sectariorum more*) *occupatior. Quis est itaque qui miretur si & in alteram potiùs partem aliquando inclinârit, & inculpatæ* tutelæ *moderamen excesserit? Diu est ex quo observavit* S. Hieronymus *aliud esse quod quis asserat* δυγμαλικῶς, *aliud quod* ἐριστικῶς. *Nec se modò ita lapsum confessus est. Alios plerosque Veteres ejusdem invidiâ Accusationis oneravit.*

Apol. pro Liber. adv. *Jovinian.*

9. Grotio *deinde An. MDCXLII. sese objecerunt è Reformatis* Rivetus *atque* Clopenburgius; *ille quidem obiter, hic selectis* (*quas hic damus*) *Disputationibus, quæ tamen postremam duntaxat partem spectant Dissertationis* Grotianæ. *Successit illis Pontificius* Georgius Ambianus *in suis ad* Tertullianum *Annotationibus. Tuetur ille quidem communem Disciplinæ causam, nefas esse siquis* Laicus, *recentioribus Ecclesiæ Seculis,*

Rivet. Apol. num. 45.

Ad lib. *de Exhort. cast.*

Seculis, Sacerdotali *aliquo munere fungatur; ita tamen interim tuetur ut hoc idem* Laicis, *primævo nihilominus* Apostolorum *Seculo, licuisse confirmet. Testesque adhibet à* Grotio *prætermissos Pseud*-Ambrosium *atque* Tertulliani *excriptorem* Hieronymum. *Ita fiet ut* Juri *duntaxat* Ecclesiastico *assignandum sit omne hoc* Laicorum Ecclesiasticorumque *munerum discrimen, quod magno redemptum vellent Adversarii. Magis itaque* Adversariis *ille, quàm* Amicis, *accensendus est.*

10. *Ex hac ergo hujus Controversiæ Historiâ & progressu, id satis manifestò constat,* omnes *cujuscunque Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosos hanc causam velutì communem suscepisse defendendam, non* Pontificios *modò &* Episcopalis *in Ecclesiâ* Regiminis *assertores, sed & aliarum Disciplinarum* Sectarios *ab* Episcopatu *alienissimos. Nec vident interim iisdem se nos petere Argumentis quæ ipsi quoque solvere tenentur,*

&

& *pro falsis agnoscere, dum ab aliis vicissim impetuntur Adversariis. Proinde nemo hæc aliis poterit objicere (si quidem sibi velit constare) qui non* omnem *prorsùs oppugnat Ecclesiæ* Disciplinam. *Constat prætereà, qui* Laicorum Sacerdotium & adversam *Ecclesiasticæ* Disciplinæ *causam hactenus propugnârint, quàm illi fuerint de causæ partisque alicujus* studio *meritò suspecti, neglectisque non modò* Æquitatis *Regulis, sed firmi quoque solidique* Ratiocinii. *Speraveram equidem post* Albaspinæum, Petavium, Marcam, *aliosque magni nominis & famæ Viros, nihil mihi superfuturum quòd ad justæ Responsionis molem assurgeret. Proinde* Petavium *duntaxat* Grotio *adjungendum censui qui Solus* Grotio *separato libello respondit. Is enim rarior occurrebat. Reliqui in suis quique quærendi voluminibus. Sed verò me fefellit mea expectatio, ut proinde Responsio nova fuerit adornanda. De* Sacerdotio Laico-

Laicorum *egimus non ita pridem in* Dissertationibus Cyprianicis. *Nec tamen videramus, cum illa scriberemus, quæ scripserat antea de eodem Argumento Doctissimus* Marca. De Tertulliano *hic duntaxat agimus, & de* Primævæ Ecclesiæ *tam* Sententiâ, *quàm etiam* Consuetudine.

II. *Quæ porro hic tradidimus de Jure Ecclesiæ* Hierosolymitanæ *primario; de* Domini *Nostri & Familiæ Dominicæ, stirpisque* Davidicæ, *in eâ* Sede, *quoad superfuit, Jure* Hæreditario, *& quidem illo ad* Trajani *usque tempora deducto, quo Imperante stirps illa funditùs in* Simeone Cleopæ *perierit: Hæc inquam, modò vera comprobentur, nemo est quin deinde videat quàm sint* Romanæ *Sedis Primatum à S.* Petri *Primatu deducendum labefactatura. Tantum enim aberit ut traduxerit* Primatum *aliquem S.* Petrus *ad* Sedis *suæ posteros* hæredes, *ut ne quidem ipse* Primatum *istiusmodi in* Ecclesiâ Catholicâ *unquam habuerit quem potuerit ad* posteros *transmittere.*

mittere. *Nec enim* Collegii Apostolici *Potestatem habuit* primarius Apostolus, *sed Collegii Universi* Præses *cui ipse etiam debebat obsequium primarius Apostolus. Demus itaque fuisse S.* Petro *primarium illum, quem tantoperè venditant* Romanistæ, *in Collegii Apostolici Consessu honorem. Nondum tamen consequetur, quod inde colligunt, fuisse* summum, *& sine omni prorsus æmulo, in Ecclesiâ Universâ,* principatum. Parium *enim duntaxat* Collegarum *respectu fuit* primarius *ille Sedis* honor, *qualis olim fuit in* Diaconorum *Collegio* Archidiaconi, *in* Presbyterorum *alio* Archipresbyteri. *Nihil tamen vetabat quominùs utriusque* Collegii, *tam Presbyterorum quàm Diaconorum,* Principatum *gereret,* exors *alia, ut appellat* Hieronymus, *altioriſque Collegii Potestas* Episcopi. *Sic etiam* primarius *cum Universo Apostolorum Collegio* Apostolus, *superiorem tamen agnoscebat, ne ipsis quidem Adversariis refragantibus,*

ipsum

ipſum Dominum, *ut proinde alium neminem fuiſſe exiſtiment, Domino ſuperſtite, in Eccleſiâ militante,* Principem. *Qui itaque* Domino in *Eccleſiâ* Hieroſolymitanâ, *jure cognationis* Hæreditario *ſucceſſerunt, eundem illi* Principatum *obtinuerint neceſſe eſt quem & ipſe Dominus. Ergo S.* Jacobo Alphæi, *S.* Simeoni Cleopæ, *Domini* Hæredibus, *obſequium debebant, non reliqui modò* Apoſtoli, *ſed S. etiam* Petrus *primarius Apoſtolus. Atqui horum, uti diximus, Succeſſio ad* Trajanum *uſque deſcendit. Nullum itaque Eccleſiæ Catholicæ* Principatum *habuit unquam paſſus ſub* Nerone *S.* Petrus *quem potuerit ad Paſtores derivare.*

12. *Id unum video reſtare quod reponant in contrarium Adverſarii, non equidem à Chriſto* Domino *ad S.* Petrum, *aut à S.* Petro *ad* proximos *Romanæ Sedis Succeſſores* immediatè *hunc emanâſſe* Principatum: *ſed verò interpoſito* temporis Succeſſorumque *intervallo,* Trajano *tan-*

dem Imperante, Romanæ *Sedis, qui tunc eam occupavere*, Præsulibus *obvenisse. Nempe Jure ipso* Hæreditario, *post Collegii Apostolici* Præsidem, *proximum esse* Apostolum primarium: *Deficiente itaque* Præsidis *Hærede sic demum devolutam esse* Hæreditatem *ad* Hæredes *Apostoli Primarii* Romanos *scilicet eorum Temporum* Episcopos. *Cæterum ut* Præsidis *Jus, pro illorum Seculorum Disciplinâ, fuerit* Hæreditarium; *non salebat tamen ad* Hæredes *descendere Jus* Collegæ Primarii. *Quæ enim eminebat inter Pares* loci *illa disparitas,* Ætati *potius quàm* Familiæ, *plerunque attributa est. Sic enim fratres* Josephus *secum epulantes,* ætatis *habitâ ratione disponebat. Inde vetustissimum* Ebræorum *morem discimus. Idem ad recentiora N. T. Tempora descendit. In illo de* Juniorum *erga* Seniores *reverentiâ cautum præceptumque sæpe legimus. Inde inter* Episcopos *Collegas*, Sedium *nulla erat sed* Ætatis *plerunque dignitas. Sic in*

Ecclesiâ

Ecclesiâ Africanâ, *exceptâ* Proconsulis *& Provinciæ* Proconsularis *Urbe* Carthagine, *reliquarum Provinciarum* Metropoles *fixæ nullæ erant, sed pro Ætate Episcopi. Nec aliam fuisse in quibusdam Ecclesiis* Asiaticis *consuetudinem, constat ex* Eusebio. *Et verò ordinem illum qui inter* Apostolos *obtinebat Ætati tribuit ipse* Dominus. S. Luc. 22. 26. *Sic itaque sublato per Martyrium* S. Petro *successerit reliquorum Apostolorum natu provectissimus. Superfuere certè non S. modò* Joannes, *sed &* Philippus, *ne de reliquis Apostolis quippiam affirmemus quorum nulla in probatæ fidei monumentis occurrit mentio. Et ut nullum deinde in unum coierit Apostolorum* Collegium, *successisse tamen probabile est in eorum in Clero* Hierosolymitano *locum Domini cognatos* Judæ *posteros, ut alibi ostendimus, quorum nulla in* Romanâ *sede successio. Quid quòd* reverentiæ *essent illa, non* Potestatis, *juniorum in majores obsequia, qualia* bonis *ætateque con-*

fectis

fectis præstant etiam modesti Principes, *cum tamen eorundem nullam agnoscant* Potestatem. *Accedit tandem* ratio *illa Juris* Metropolitici, *quam pro eorum Temporum moribus ibidem explicamus, quæ quidem in Civitatem* Hierosolymitanam *rectè quadrabat, nulla prorsus in* Romanam. *De Civitate* Hierosolymitanâ *rectè dictum* Spiritualium *ejus participes factas, quà patebat* Christianitas, *Civitates* Christianitatis *Colonias, quòd nemo verè de* Romanâ *affirmârit.*

DISSER-

DISSERTATIO
Hugonis Grotii
DE
COENÆ
ADMINISTRATIONE.

Grotii ipſius de ſequenti Diſſertatione ſententia.

Libellus iſte, cui Reſpondit Reverendus D. Petavius, *cujus ſit Autoris nihil refert. Ego eum* TOTUM *pro meo non agnoſco.* Vot. pro Pace *ad Art. V. inter* Grotii *Opuſc. p.* 658. *Libellum illum, cui Vir Reverendus* Dionyſius Petavius *reſpondit, meritò pro ſuo non agnoſcit* Grotius. *Nam & ADDITA ſunt quæ* Grotius *nec SCRIPSIT nec PROBAT; & quæ ab ipſo congeſta erant, eo erant tempore congeſta, quo Diſputatio iſta calebat inter Reverendiſſimum Epiſcopum* Aurelianenſem *& Virum Ampliſſimum* Nicolaum Rigaltium, *non animo quicquam DEFENDENDI, ſed inquirendi Eruditorum ſententias. Neque tamen illud, quod apud*

Tertullianum *est, Laicorum i*
NECESSITATE Sacerdot
um, D. Rivetum *ejusque soci*
quicquam juvat. Administrab
tur enim illud de CONSENS
ipsius Ecclesiæ Universalis, ac pr
inde sine periculo SCHISMATI
Et qui continuare eum morem v
lebant, accipiebant, simulatq
poterant, Ordinationem ab EP
SCOPIS legitimè constituti
Rivet. Apolog. Discuss. *p.* 69
Non pugnat cum his quæ de Ordina
tionum SUCCESSIONI
dicta sunt, Tertulliani *locus r*
ctè intellectus. Nam & illi Laic
qui in locis remotissimis SACER
DOTIO aliquatenùs fungebantu
faciebant id (ut & suprà dictu
est) ex Ecclesiæ PERMISSU
& cessabat is Permissus, *simul a*
que Presbyteri *aliunde haberi, a*
ipsi illi Laici *ad Ecclesias pro*
ciſci, & ibi per EPISCOPO
Presbyteri fieri poterant. Ita n
lum inde SCHISMATIS pe
culum, quale in iis qui à semeti

sis, *aut à suâ* Plebe *facti*, (*ut quidam volunt*) Presbyteri, *contra ejus quæ erat Ecclesiæ* voluntatem, *partem de solido sibi abduxere, & sibi retinent. Scriptum illud sine Scriptoris nomine, quod hic rursùm urget D.*Rivetus, Grotius *nec* DEFENDIT, *nec* TENETUR *defendere. Ac proinde malè inde infertur, eum alterâ manu ædificare quod alterâ destruat.* Id ibid. *p.* 715.

ERRATA

In Dissertatione H. DODWELLI *de Sacerdotio Laicorum.*

PAg. 15. l. 6. solts l. solus. p. 40. l. 16. indigisse l. indiguisse. p. 49. l. 1. Sacerodtes. l. Sacerdotes. p. 60. l. 20. dicentes l. discentes. p. 84. l. 2. fore l. fortè. p. 96. l. 17. exigerit l. exeg. l. 19. exegere l. exigere. p. 122. l. 21. Ecclesiastici. Etiam l. Ecclesiastici, etiam. p. 128. l. 3. ratia l. rata. p. 134. l. 8. 9. l. Sacerdotii Presbyteralis. p. 171. l. 15. tractatu l. tractu. p. 176. l. 2. illum l. illud. p. 189. l. 16. לן l. לי. p. 198. l. 8. ἀσακτ l. ἀτακτ. p. 204. l. 23. dele dicitur. p. 205. l. 3. quisquis l. quisque. p. 225. l. 19. Doni l. Domini. p. 224. l. 8. utr. ejecto l. ut, rejecto. p. 233. l. 6. Apo. l. Apol. p. 238. l. 5. diirs l. diris. p. 245. l. 4. dilectorum l. delictorum. p. 279, l. 10. ἀτοῖς l. αὐτοῖς. p. 286. l. 14. initio. In l. initio, in p 287. l. ult. quisquis l. quisque. p. 290. l. 13. Matttinis l. Matutinis. p 293. l. 23 Æxumit. l. Axumit.

DISSERTATIO DE COENÆ Administratione ubi Pastores non sunt.

EDidit nuper vir doctissimus Nicolaus Rigaltius Tertulliani libros aliquos emendatos ad vetustum codicem, quem ante annos fere octingentos Agobardus Episcopus Lugdunensis suæ urbis Ecclesiæ dederat. Inter ea opera est illud, de Exhortatione castitatis, ubi defendit Tertullianus, ut erat ad omnia rigidus, à secundis nuptiis etiam laicos abstinere debere: quod ut probet, hoc adfert argumentum; verba enim ipsa adferam, eo magis quia in manuscrip-

to, quem inſpexi, paulo aliter eſt quam edidit Rigaltius. Sic enim ille habet. *Sed dices, ergo cæteris licet quos excipit. Vani erimus ſi putaverimus quod ſacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne & laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, regnum quoque nos & Sacerdotes deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſia & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus: Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt Conſeſſus, & offers & tinguis & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licet laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis juſtificabuntur à Deo ſed factores, ſecundum quod & Apoſtolus dicit. Igitur ſi habes jus ſacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam ſacerdotii ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotis. Digamus tinguis? digamus offers? quanto magis laico digamo capitale eſt agere pro ſacerdote, quum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere ſacerdotem. Sed neceſſitati, inquis, indulgetur. Nulla neceſſitas excuſatur*

quæ

quæ poteſt non eſſe. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in neceſſitatem adminiſtrandi quod non licet digamo. Omnes nos Deus ita voluit diſpoſitos eſſe ut ubique ſacramentis ejus obeundis apti ſimus. Hunc locum ſic explicaverat Rigaltius ut diceret hoc eum velle, ſi Chriſtianus cum familia ſua in navi ſit, & feratur in ea loca in quibus nulli ſunt Chriſtiani, nullus conſeſſus ordinis, id eſt, πρεσβυτέριον, ipſum poſſe & offerre deo, nempe ſymbola dominicæ paſſionis, cum ſolenni gratiarum actione, & tingere id eſt Baptizare, & ſacerdotem eſſe ſibi, quia in illis etiam paucis ſit Eccleſia, quomodo & Apoſtolus loquitur, *Rom.* XVI, 5. ad Philem. 2. Objecit ſe hic Rigaltio albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, qui ut privilegium presbyteratus tueatur, quovis potius modo vocem offerre ſumi vult quam de eo quod paulus Apoſtolus 1. ad Cor. X. dixit εὐλογεῖν, & XI, 24, εὐχαριςῆσαι, quâ voce in eo ſenſu & Juſtinus Martyr utitur, pro quo vulgus nunc dicit conſecrare.

Atqui

Atqui offerre & apud Tertullianum & apud discipulum ejus Cyprianum hoc sensu solere sumi nec ipse neget: neque ullum proferet locum ubi offerre alio sumatur significatu, ubi conjungitur cum tingere, id est, baptizare. Nullus enim est ritus alius extra hunc qui cum baptismo ex æquo poni mereatur. Itaque non apud Ecclesiasticos tantum scriptores, maxime cum baptismo æquatum, hunc sensum habet, verum etiam in legibus; ut Novella Justiniani CXXXVII, in fine præfationis & capitis sexti initio. Tum vero vis tota argumenti quo utitur Tertullianus in eo consistit, ut dicat nihil esse tam magnificum quod à presbytero fiat, ad quod non & laicus admitti debeat ubi presbyterium non est. Id ut ostendat profert quæ extra talem necessitatem laici non usurpabant, sed relinquebant solis presbyteris, ut baptizare & solennibus uti verbis per quæ fit Eucharistia. Alibi cum de baptismo tantum ageret idem plane sed in illa specie dixit. *Dandi quidem jus habet summus sacerdos qui est Episcopus,*

Episcopus, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin & laicis jus est. Quod ipse mox interpretatur. *Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicuti aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit.* Cum ita sentiret de baptismo Tertullianus, non debere eum à laico nisi in presbyterorum penuria administrari, non illo de exhortatione loco subintuliſſet alterum illud de offerendo, nisi de oblatione egisset tali quæ extra necessitatem à laicis non usurpabatur, nimirum ob eam quam utrobique reddit causam, pacis ac constituti regiminis reverentiam. Non semel autem eo quem priorem recitavimus loco, sed bis, de baptismo ad oblationem tanquam ad aliquid aut par aut opinione hominum majus gradum fecit. Deinde notandum vel maxime, quod cum dicit, sua quemque fide vivere, & non auditores sed factores legis justificari, sentit mandatum de offerendo omnibus Christianis datum, non Apostolis qua

Apostolis,

Apostolis, sed qua Christianis. Quomodo & Paulus illud Lucæ sui τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν interpretatur 1 Cor. XI. 24, 25, 26, 27, 28, 29. ubi apertissime hoc præceptum Christianis omnibus aptat. Est alius Tertulliani locus in Corona militis, in quo pauca verba sunt, sed ad id de quo agimus maximi ponderis. Nam & ibi quum de Baptismo egisset, pariter ut in illo altero loco ad Eucharistiam progreditur, ejusque celebrationem, ordinis non mandati dominici causa, vult peragi per presbyteros aut potius Episcopos, quos & Justinus vocat τοὺς προεστῶτας. Nam cum ostendere vellet multa pacis & disciplinæ causa à primævo more variasse, ejusque effati sui argumentum dedisset, prægustationem lactis & mellis ante baptismum, abstinentiam aliquot dierum à lavacro post baptismum, ista verba subjungit. *Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus.* Eucharistiæ

chariſtiæ ritum, à Domino ait traditum in ipſo victus quotidiani, id eſt Cœnæ, tempore, & mandatum non certo ordini, ſed Chriſtianis omnibus datum. Quod in ipſo cœnæ tempore à Domino mandatum dicit hunc ritum, ſimul intelligit à primis Chriſtianis aliquandiu eodem modo fuiſſe celebratum: quod verum eſſe, niſi nunc aliud ageretur, multis veterum teſtimoniis poſſet oſtendi; manſitque veſtigium priſtini moris in ipſo die anniverſario inſtitutæ Cœnæ ad tempora uſque Auguſtini. In eo vero quod mandatum omnibus dicit hunc ritum, hoc ipſum dicit quod in argumentum afierebat, in eo quem attulimus loco Exhortationis ad Caſtitatem. Neque vero hæc privata fuit Tertulliani ſententia, ſed communis Chriſtianorum illius temporis: nam alioqui ex re non ab aliis credita, cum aliis agens, argumentum nonniſi ſtultè duxiſſet. Neque opinio tantum fuit, ſed mos receptus à Chriſtianis illius ætatis, ubi talis occaſio ſe obtulerat. Itaque dicit *Tinguis, offers,* id eſt ſo-

 les

les hoc facere. Verum hoc esse etiam ferior ætas nos docet. Nam cum ad Indos, id est, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo semper Alexandrinum Patriarcham suspexerant, venisset ab Alexandria laicus Frumentius, auctor fuit his quos ad Christum converterat, & paucis qui cum ipso erant, & Theodoreti utar verbis, Κατὰ τὸ ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε καὶ τὰς ἱερὰς ὑπελεῖν λειτουργίας, id est eo more quo sub Romano Imperio fieri solebat & convenire & sacra celebrare. At nemo ibi tunc Episcopus erat, nemo Presbyter, imo primus cum Episcopi dignitate, qui postea presbyteros ordinavit, eo missus est, post reditum suum Alexandriam & rem renuntiatam, ipse ille Frumentius ab Athanasio. Amplius dicam, etiam fœminas, ubi non modo presbyterorum sed & virorum copia esset nulla, communi hoc jure usas & ipse credidit, & alios credere voluit scriptor vetus Martyrologii qui ad diem pridie Calendas Junias sic ait. *Romæ sanctæ Petronellæ virginis. Hæc fuit filia beatissimi*

beatissimi Petri Apostoli, quæ post multa miracula sanitatum, cum eam Flaccus Comes suo vellet sociare conjugio, tridui inducias postulans & cum sancta Felicilla collactanea sua continuis jejuniis atque orationibus vacans, tertio celebratis dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulo amisit spiritum. Ne vero credamus, quod præcipue vult credi Aurelianensis Episcopus, ab initio Christianismi solis presbyteris jus fuisse Eucharistiam conficiendi aut consecrandi, ut loqui mos est, vel illud nos prohibet quod diaconos, sicut baptizasse legimus Act. viii, 36, (nam Philippum illum non Apostolum sed diaconum fuisse & veteres consentiunt, & ea quæ præcedunt capite eodem verse 5, & 14. satis evincunt) & apud Tertullianum loco illo quem de Baptismo jam adduximus, cui multi veterum addi possent, ita etiam ab illis factam Eucharistiam tam apertum est, ut mirum sit reperiri posse viros τῶν χριστιανῶν αρχαιότητος οὐκ ἀγεύστους qui id negent, nisi

 forte

forte dicere mussant magis quam negant. Nam in Laodicensi synodo, quæ Nicæensi haud multo est posterior, Canon est, qui sic habet: Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι, ἢ ποτήριον ὁυλογεῖν. ubi ὑπηρέτας Dionysius Exiguus recte vertit subdiaconos, sic enim ait; *quod non oporteat subdiaconos panem dare vel calicem benedicere.* unde duo dicimus, ad id usque tempus, credo ob multitudinem communicantium crescentem in dies, sæpe & subdiaconos non tantum porrexisse panem, sed & pronuntiasse verba illa quibus calix benedicitur sive consecratur, deinde in posterum id, nondum diaconis, sed subdiaconis tantum interdictum. Idem nos docet synodus Ancyrana vetustissima synodorum quarum exstat mentio post illam Antiochenam qua condemnatus fuit Paulus Samosatensis. Nam de Diaconis qui idolis sacrificaverant sic statuit Canon ejus Synodi primus. Διακόνες ὁμοίως θύσαντας μὲν ἢ ζῶντα ἀναπαλέσαντας, πλὴν μὴ αὐτὰ ἔχειν, πεπαῦσθαι ἢ αὐτὲς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας,

ας, τῶν τὸ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν καὶ κηρύσσειν. Latine ita vertit Dionysius Exiguus, laudatus Cardinalibus Baronio & Bellarmino, editus vero nuper à viro clarissimo & de antiquitate Ecclesiastica optime merito Christophoro Justello. *Diaconi similiter qui sacrificaverunt, postea autem reluctati sunt, illum quidem honorem habere, ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, panem vel calicem offerendi vel prædicandi.* Ubi manifeste offerri ponitur eo sensu quo supra apud Tertullianum, apud Cyprianum aliosque, sæpe etiam in Novellis dicto loco, idemque est quod in Laodicensi Synodo λλογεῖν. Sunt in Orientali India, tum in ora Malabarum, tum alibi passim Christiani qui sancti Thomæ & à semetipsis & à Lusitanis appellantur, quos institutorum veterum fuisse retinentissimos discere licet ex ipsis illis libris quos Hispani ediderunt, præsertim si ea quæ illi narrant conferamus cum scriptis antiquissimis Christianorum, quæ ipsi nunquam viderant, & tamen eadem faciunt.

faciunt. Multa de illis narrat homo illis infestus, quod à Latinis ritibus dissideant, Antonius Govea: inter quæ & hoc est: Cum ante multa secula gravis in ipsos suscitata esset Paganorum regum persecutio, evenisse ut ea in Episcopos & presbyteros maxime incumberet, ita ut eorum nemo vivus relinqueretur. Itaque eos necessitate tali, qualem nobis ante oculos ponit Tertullianus, adactos, unum Diaconorum superstitem rogasse ut sacramenta administraret, quomodo Episcopi & presbyteri solebant: atque eum tali desiderio morem gessisse, quod ipsum culpat Hispanus, ut multa alia quæ non propria illorum sunt, sed cum vetustate communia; tantoque melius ab illis servata, quanto ibi est simplicitas syncerior & ignota in fidem dominatio. Nec aliter vox offerendi sumenda in Canone Synodi Arelatensis primæ habitæ imperante Constantino: *De diaconis quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Hic diaconis interdici cœptum

ptum est, quod subdiaconis interdixit in Oriente synodus Laodiceæ: nimirum sufficiente jam per Galliam presbyterorum copia, quæ cum in Asia tanta non esset, haud mirum est, si ibi diaconi diutius in pristino illo jure manserunt. Sed & de laicorum, ubi presbyteri non aderant, Eucharistica inter se communione exempla extant etiam ævi serioris, quæ docent nuper admodum exoleviſſe eam quæ nunc oppugnatur sententiam. Nam Synodi in Trullo sic habet LVIII canon. Λαϊκὸς ωρεσβυτέρῳ παρόντι, ἢ διακόνῳ εἰ τῶν θείων ἐαυτὸν μυστηρίων μετα δῷ, ἑβδόμαδα μίαν ἀφοριζέσθω. *Laicus si presente presbytero aut diacono semet sacrorum mysteriorum faciat participem, per hebdomada abstineto.* Ubi tria notanda, non interdici id laicis, nisi præsente diacono aut presbytero, nec diacono interdici nisi presente presbytero, & pœnam tam brevem nullum facinus commissum, sed ordinem non satis accurate servatum testari. In libro qui inscriptus Sophronio, ideoque Σωφρονίου Λειμωνάριον appellari solet, nar-

ratio

ratio exstat de sene laico anachoreta, quæ est in eo libro ordine CXCIX hujusmodi. διηγήσατό τις τῶν πατέρων ὅτι τις τῶν γερόντων καθαρὸς καὶ ἅγιος ὢν ἐν τῷ ποιεῖν αὐτὸν τὴν προσκομιδὴν ἀγγέλους ἔβλεψεν ἐκ τῶν δεξιῶν αὐτοῦ. καὶ ἐξ εὐωνύμων ἱσταμένους Valere autem debet hujus libri auctoritas apud illos qui Synodum Nicæensem secundam recipiunt: ea enim illius testimonio utitur. Ut veniam ad ea quæ & loco & tempore propiora sunt, Caroli id nomen quinti per Gallias regno vixit dux magni nominis Bertrandus Guesclinus, de quo exstant scripta illius aut proximi temporis sermone eo qui haud dubie præ se ferat suæ ætatis indicia. Quo tempore adversus Anglorum ductorem prælium ei imminuit, hæc de militibus ejus narrantur. *Et en icelle place se desjunerent de pain & de vin qu'ils avoyent aportes avec eux: Et prennoient les aucuns de iceux du pain, & le seignoyent du nom du sainct sacrement: Et apres qu'ils estoyent confessez l'un à l'autre de leurs pechez le usoyent en lieu d' escommichement*

ment. Hæc vox ultima illius ſæculi uſu communionem ſignificat. Similia reperiuntur in antiquioribus fabulis, quas Romanas vocant, tum de Agmonis filiis, tum de aliis: quod genus ſcripta eruditis antiquariis non ſpernenda præbent morum & opinionum veterum veſtigia. Neque verò eſt quod exiſtimet Epiſcopus Aurelianenſis nunc demum exiſtere qui hunc ritum eruant. Vidit eum qui nihil prope non vidit & exſerte indicavit Eraſmus epiſtolarum libro XXVI (exſtant eæ tomo operum ejus tertio) epiſtola ad Cutbertum Tonſtallum. *Conſtat, inquit, temporibus Apoſtolorum, fuiſſe ſynaxin, quam laici inter ſe faciebant adhibita precatione & benedictione; & eum panem (ut eſt probabile) appellabant corpus Domini, ut frequenter etiam in ſacris literis eadem vox ſigno & rei ſignatæ accommodatur. Fieri enim poteſt ut de hac ſynaxi loquatur ibi Origenes. Nec uſquam in Canonicis literis invenitur ubi Apoſtoli certo conſecraverint corpus Domini ut nunc conſecratur in altari, excepto uno loco*

prioris ad Corinthios epistolæ XI. *& tamen in decimo capite, unde fluxerat Pauli sermo, non videtur agi de consecratione sacerdotali.* His intellectis non difficile erit verum sensum dare alii Tertullianeo loco quem varii variè torquent. Est is libro de velandis virginibus & sic habet. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vendicare.* Usurpabant in hæreticorum paralynagogis mulieres ut publice populum docerent: ille tantum ait hoc abesse à recto, ut ne privatim quidem, sive in familia, aut docere debeant res sacras, aut baptizare, aut Eucharistiam precibus legitimis sanctificare, quia ut illud publice docere atque alia peragere sacerdotum est, ita privatim, ubi necessitas id exigit, virorum tamen est, ad quorum officium mulieres non debent admitti. Nam ita sensisse Tertullianum, baptizare etiam privatim mulieribus non licere, apertissime liquet libro de Baptismo,

quod

quod tamen, ut & de docendo & offerendo alii haud dubie restrixerunt ad eam circumstantiam, ubi, si non sacerdotes, viri certe adsunt aut haberi possunt. Nam in carcere aut simili solitudine, ubi virorum quoque Christianorum nulla est copia, quosdam ne mulieribus quidem hæc officia omnino interdixisse, ex his quæ supra attulimus satis apparet.

An semper communicandum per symbola.

QUod de Johanne Antiocheno eo, cui postera ætas ob eloquentiæ præstantiam Chrysostomi dedit nomen, scriptum reliquit historiæ lib. VI. cap. 3. Socrates, eum Antiochiæ viventem in presbyteratu, cum duæ ibi essent factæ Ecclesiæ partes sub Meletii ac Paulini nomine, ita se subduxisse Meletianis post Meletii mortem, ut tamen alterius partis duci Paulino non communicaret, inque ea partium abstinentiâ quietum eum mansisse per triennium, causam nobis in-

 quirendi

quirendi dat, quâ ratione motus vir pietatis, eruditionis, prudentiæ tantæ id fecerit. Cujus exemplum ſecuti ſunt manente poſt Synodum Chalcedonenſem gravi per Ægyptum Orientemque diſſidio, multi qui ob id nomen ſibi Διακριτομένων dedêre, quorum meminit præter cæteros Leontius Byzantius de ſectis Libro: fuitque eorum unus Johannes ille cognominatus ob id Diacrinomenos, Eccleſiaſticæ ſcriptor hiſtoriæ commemoratus à ſynodo ſeptima Actione quinta. Ac primum quidem quæri poteſt, an inſtitutio Chriſti de cœna præceptum præſertim univerſale ac ſine conditione, contineat. Non enim videtur ſine causâ vetus Eccleſia ei rei mandati potius quam præcepti dediſſe nomen. Ut ſtirpitus exquiratur res tota, obſervanda inſtitutionis ejus occaſio ex more ſumpta Hebræorum, cujus moris deſcriptio eſt apud Scaligerum lib. VI. de Emendatione temporum, & apud Paulum Fagium ad Chaldaicam paraphraſin Deut. cap. VIII. Veriſſimum enim eſt, quod

quod vir doctiſſimus Hugo Brochth ad Danielem notavit, nullos à Chriſto inſtitutos ritus novos. Baptiſmus in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatriâ ad Judaiſmum accederet. Meminit ſæpè Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Judæos manet.† Johannes Baptiſta ut oſtenderet Judæos, quanquam unius dei cultum profitentes, moribus eâ ætate non minus fuiſſe corruptis & à lege dei diſſentaneis, quam ii erant qui falſos deos colebant, ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par tranſlato vetere baptizandi ritu id ipſum ſignificavit. Servavit morem in utroque genere hominum Chriſtus, additâ profeſſione ſui quoque nominis & promiſſo ſpiritus ſancti. Manus imponere iis, pro quibus deum precabantur, ad ſignificandam ſpem divinæ efficaciæ, quæ iis optabatur, vetus erat apud Hebræos.

† Baptiſmus Johannis non primò neque abſolutè divinæ inſtitutionis eſt, ſed ex hypotheſi & conditione moris apud Judæos recepti, quatenus iſte ad id quod prædicabat Johannes ritè transferri ac uſurpari ſe ſinebat.

bræos. Retinuere Apoſtoli: atque inde ritus orandi pro ægrotis, confirmandi baptizatos, ordinandi paſtores, abſolvendi criminum ſontes, & quod nunc quoque in Oriente manuum impoſitione peragitur, Matrimonii benedicendi, velut in rivos plures uno ex fonte fluxit. Mos erat Hebræis, qui & nunc manet, feſtis diebus quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos, vicinos aut amicos ſupra decem, infra viginta, quæ erat juſta ſodalitas ſive φεραπεία exponente Joſepho. Cœnæ fine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis: adferebatur & calix, qui & ipſe à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentia, quod creaſſet panem ex terrâ ac fructum vitis בורא פרי הגפן γέννημα ἀμπέλου. Accedebat hiſtoriæ ad diem reſpondentis grata commemoratio, ὕμνος εὐλογίας ſive εὐχαριστίας, quæ duo idem valent; In Paſchate pro exitu ex Ægypto: In Pentecoſte pro datâ lege: in σκηνοπηγίας

γάιος pro ductu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ commemorationem. Itaque illud τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, non est definitum imperium, sed intelligendum hoc, ὅταν ποιεῖτε, quoties festas cœnas habetis & more solito isto postcœnio eas clauditis. Id manifestum facit Paulus qui verba Christi explicans addit, τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. quod pari modo, ut notavit * in altero membro supplendum est: τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν φάγητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Et certè veteres Christiani, quoties tale convivium celebrabant, ante mortis Christi commemorationem præmittebant gratias pro creatione rerum ac nominatim panis vinique ex more veteri. Ostendunt id Clementis quæ dicuntur constitutiones, lib. VII. c. 27. Justinus ἵνα ἅμα τε δικαιούμεθα τῷ θεῷ ὑπέρ τε τοῦ τὸν κόσμον ἐπικτίσθαι σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπὸ τῆς κακίας, ἐν ᾗ γεγόναμεν, ἠλευθερωκέναι

* Pieharellus dissertatione eruditâ de Missâ.

ναι ἡμᾶς, & quæ ſequuntur. Irenæus lib. v. c. 11. *Et quoniam membra ejus ſumus per creaturam nutrimur, creaturam autem ipſe nobis præſtat,* & quæ ſequuntur. Origenes 8. adverſus Celſum de Deo: οὗ τῶν εὐεργεσιῶν πλήρεις ἐσμὲν καὶ δημιουργήματα ὄντες αὐτοῦ καὶ προνοούμενοι ὑπ' αὐτοῦ κριθέντες ὅπως ποτε εἶναι καὶ ἔξω τοῦ βίου τὰς παρ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐκδεχόμενοι. ἐστὶ δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστίας ἄρτος, εὐχαριστία καλούμενος. Inde illud in Miſsâ latinâ: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti. Item, per Chriſtum Dominum noſtrum per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, &c.* Proprie ergò Hebræos, quibus mos erat celebrandi talia poſtcœnia, Chriſtus excitatos voluit, ut ad beneficiorum aliorum gratam commemorationem & ſuæ mortis memoriam adjungerent. Paulus, Gentium doctor, utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occaſione uſus alterius moris, quem eædem gentes in falſo deorum cultu obſervaverant. Moris enim erat apud eas, ut quoties quis

quis ſacrificaſſet, extorum pars ei redderetur, ad quam vocabat convivas. Invenies eum morem apud Ariſtophanem aliquoties. unde nec illud abit, quod ad Plautum Scholiaſtes notat: καὶ δὲ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι δεῖπνον ἑσπέρας ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ προσάγοντες ἐπὶ τῶν τριόδοις ἐτίθουν. εἰ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες καὶ ἤσθιον αὐτά. Hinc vocare aut adducere ad exta poſt ſacrificii mentionem apud Plautum Milite Glorioſo. Pœnulo Lycus ——

Convivas volo (*ſient:*
Reperire nobis commodos, qui una
Interibi attulerint extra.

Sticho Gelaſimus: *Jamne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?*

Virgil. Eclog. III. *Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipſe venito.*

Hunc morem Paulus, amoto vitio, ad eos qui Chriſtianiſmum ſuſceperant, traduxit, & Chriſti ſequens præſcriptum Luc. XIV. 13. pauperes voluit divitum ſumptu meliuſcule quam pauperum erat vita haberi, unde ἀγάπης nomen. Tertullianus Apologetico: *Cœna noſtra de nomine*

rationem sui ostendit: id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus. Convivia talia in fine habebant, cum circumlatione panis & poculi, gratiarum actionem pro muneribus divinis, & speciatim pro morte Christi credentibus impensâ. Huc respiciens Tertullianus libro de corona, Eucharistiæ Sacramentum in tempore victus mandatum à Domino, non, ut postea fieri solitum, antelucanis cœtibus, notat. Primitivi moris apud Ægyptios diu retenti ac post mutati causam historicus Socrates ad quorundam temulentiam refert. Vestigia tamen mansisse illius moris in die ipso, quo Dominus cœnam suam instituerat, docet nos canon Concilii Carthaginiensis tertii & Augustini ad Januarium epistola. Neque verò Paulus præceptum usquam vocat, sed institutum. παρέλαβον ὁ καὶ παρέδωκα. nec quosvis invitat, sed eos qui bene se exploraverint, an nempe in spiritu sint dilectionis,

dilectionis, cujus ſymbolum habet iſta panis vinique paricipatio. Jam verò eſt eaque fuit ſemper, etiam ſub lege illâ rigidâ Moſis, ſymbolorum natura ut facile ex cauſa probabili omitti ſe ferant. Sic panes ſacros, quos lex ſolis ſacerdotibus addixerat, in ſuos uſus vertit David. Sic & circumciſio, tam ſeverè præcepta, & Paſchalis ceremonia omiſſa totis annis XL quibus Hebræi per deſertas Arabum terras ambularunt, nempe quod inter itinera parum commodè interventuri fuerant tot dies aut otio tribuendi aut medicando corpori. Vide Joſuæ cap. v. Serpentem æneum à Moſe factum, quod in non rectos uſus vulgò verteretur, fregit Rex Ezechias.* Sic qui in decem erant tribubus, poſt Hieroboami tempora adire templum Hieroſolymitanum deſiere, contenti domi Deum colere, ne

* Intellige hoc de piis Iſraelitis, puta prophetis & prophetarum filiis, &c. qui nati aut educati ſub regibus impiis, in medio populi idololatrici habitare perſeveraverunt; ſic tamen ut impiis eorum neutiquam communicarent: ut legere eſt de ſeptem millibus qui non flexerant genua, &c.

Reges ſuos ſuſpicaces irritarent. Adde & 11. Paral. xxx. 17, 18, & xxiv. 12, 13, collatis Lev. locis vi. 26, 30, & cap. 10, 17, 19, 20. & quæ habet Maimonides ductore dubitantium III. 41. Cauſæ autem juſtiſſimæ intermittendæ communionis, de quo loqui cœpimus, ſymbolicæ, hæ videntur eſſe: Si qui præpoſiti ſunt Eccleſiis aut expreſsè aut tacitè profeſſiones exigant quarundam aſſertionum, quibus alterius conſcientia non adſentit. Ob hanc Hieronymus à Syriæ paſtorum communione abſtinuit, quod vereretur aſſerere tres eſſe in Deo hypoſtaſes, vocem iſtam ad ſubſtantiæ ſignificatum trahens, ut multæ illius literæ, præſertim illæ ad Damaſum oſtendunt. Deinde ſi communio ſymbolica non modo uſum, ad quem nata eſt, non habeat, fovendæ ac teſtandæ communionis cum omnibus piè Chriſtianis, verum inſuper tendat ad teſtandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus piè ac Chriſtianè viventium, & ad ſalutem neceſſaria, quæ

non

non ita ſunt multa, credentium. Accedere poteſt tertium, Chryſoſtomo præcipuè ſpectatum, quod interdum abſtinens aliquis à partium communione, liberius ſolutiuſque exercere poteſt Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes. Quid verò æquius, quam ubi conflictus eſt, ſigna cedere ſignificatæ rei, putamen nucleo? Itaque eſt interdum, ubi cum Auguſtino dicere liceat, crede & manducaſti, crede ſcilicet eâ fide, quæ per dilectionem operatur, quæ in Chriſtianiſmo totum facit, ac nova obedientia vocatur, ut oſtendunt collata inter ſe loca Pauli duo ad Gal. v. 6, & v 1. 15, ſed plerorumque hominum hic eſt mos.

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιέμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονέμεθα.

Non reſpondebo hic ad id quod objiciunt nonnulli ex Joh. v 1. cap. 53. quem qui de ſymbolicâ manducatione interpretati ſunt, eò devenere, ut non modò recens natis infantibus exhiberent Euchariſtica ſymbola, ſed & niſi id fieret, æternas pœnas ipſis

infantibus

infantibus crudeli ſcito denunciarent, cum revera ibi manducare & bibere nihil ſit aliud quam intelligere, meditari & in uſum vertere, de quo ſignificatu vocis אכל doctè agit Maimonides ductore dubitantium 1. cap. 29. Et fuiſſe vulgo quoque notum ac receptum id loquendi genus, tranſlatum à corpore ad animum apparet Jer. xv. 16. Ezech. III. 3. Prov. IX. 5. Apocal. x. 9. Eccleſ. xv. 3. XXIV. 29. Bene Philo: Τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς: τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἐναλήψει τῶν καλῶν καὶ πράξει τῶν κατορθωμάτων. Et alibi: ἴσασιν οἱ κεκοινωνηκότες ἤδη, καὶ οὗ ἡ φύσις ἵλεως πάλιν γνώσονται, κληθέντες εἰς μετουσίαν θοίνης, οὐκ ἐξ ἧς αἱ γαστρὸς ἡδοναὶ πιμπλαμένης τὸ σῶμα πιαίνουσιν, ἀλλ' ἀφ' ἧς Λόγοια ἐντρεφομένη καὶ ἐγχορεύουσα αρεταῖς γήθει τε καὶ εὐφραίνεται. Et ſic eum quem diximus Johannis locum optimè interpetatur Baſilius Apologia ad Cæſarianos, & Auguſtinus, cum eo ſignificari ait communicandum Dominicæ paſſioni. Similis eorum error fuit, qui locum Johannis alterum, ubi de

novâ

novâ geniturâ, quæ fit per ſpiritum mundantem, qui ibi καθ' ἓν ἐξ δυοῖν aqua & ſpiritus vocatur, agitur, intellexere de conſpicuo baptiſmo, ejuſque eam eſſe crediderunt neceſſitatem, ut ſine eo æternis pœnis infantes ſubjacerent, cum mollius de circumciſione Judæi ſentiant, cujus omiſſæ pœnam non ad infantes, ſed ad infantum parentes aiunt pertinere. At perſpicaci lectori ſatis apparet agi ibi de hominibus adultis rationiſque & emendationis capacibus. Quod Græci non ignoravêre: apud quos mos fuit ad plenam ætatem, annum puta viceſimum aut ultra differre baptiſmum: neque vulgus tantum, ſed maxima Eccleſiæ columina ita fecere, ut ipſe ille Chryſoſtomus matre haud dubiè natus Chriſtianâ & ab eâ jam viduâ educatus, & Gregorius Nazianzenus natus parente utroque Chriſtiano, patre etiam Epiſcopo, & ejus curâ de omnibus, quæ ad pietatem pertinent, inſtitutus.

DIONI-

DIONYSII PETAVII

AURELIANENSIS

è Societate JESU

DE

POTESTATE

Consecrandi & Sacrificandi Sacerdotibus à Deò concessa: déque Communione usurpanda,

DIATRIBA.

Adversus novam Dissertationem Anonymi cujusdam; qui Christiani sacrificii consecrandi, offerendique potestatem etiam laicis attribuit.

LONDINI: MDCLXXXV.

274:99

ILLUSTRISSIMO

Ampliſſimóque viro

PETRO SEGVIERIO

FRANCIÆ

CANCELLARIO.

VETUS *in Eccleſia mos fuit* (Vir Illuſtriſſime) *ut Epiſcoporum Conciliis, tractandíſque fidei rebus adhiberentur laici ordinis principes viri; non qui controverſiæ diſceptatores, ſed qui pacis inter partes conciliatores eſſent: ne quid indecorè, ac præter ordinem ageretur. Sic in prima omnium Oecu-*

menica ſynodo Conſtantinus M. Imperator: in quarta, Marcianus, & Pulcheria: in ſexta, Conſtantinus Pogonatus, Auguſti omnes; ut recentiores alias taceam: in pleriſque magiſtratus, & Comites adfuiſſe leguntur. Ego verò in hac, quam inſtitui, fidei diſputatione, tibi civilis juris, adminiſtrationiſque principi, etiam judicis, arbitríque partes; nedum moderatoris ac pacificatoris ultrò defero. Quas equidem ambas non minus iis in altercationibus, quæ ſtilo privatim; quàm quæ voce publicè exercentur, neceſſarias judico. Nam & apud idoneum propoſitæ rei æſtimatorem propugnanda cauſſa veritatis eſt: & ad hoc ipſum auctoritate eſt opus; quæ iræ, pervicaciæque modum ſtatuat: ne ab utili, ac modeſta concertatione, res ad rixas, & contumelias vocetur. Ac quod universè *dixit apud Salluſtium Cæſar;* Omneis homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab ira, & odio vacuos eſſe debere. *tum,* haud facilè ànimum verum providere, ubi illa officiunt; *id in illo genere diſputationum,*

Salluſt. in Bello Catilin.

num, quod ad religionem pertinet, haud paulò quàm in cæteris eſt verius. Declarat hoc præclara illa B. Hilarii ſententia in decimo libro de Trinitate: ubi ſic ſcribit: Immoderata eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia; & indeflexo motu adverſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur; ſed iis, quæ volumus, rationem conquirimus, & iis, quæ ſtudemus, doctrinam comparamus. Iámque nominis potiùs, quàm naturæ erit doctrina, quæ fingitur: & non jam veri manebit ratio, ſed placiti, quam ſibi voluntas magis ad defenſionem placentium coaptavit.

Quamobrem dum in hoc certamine noſtro duas illas, quas dixi, opportunitates perſequor, tu mihi ex omnibus occurriſti, in quo totidem illa neceſſaria præſidia ſummè ineſſe videbantur. Primùm dignitas, & auctoritas ea eſt in te, quæ impetum animi poteſt, & ardorem vel tacita continere. Accedit ad dijudicandi ſolertiam præſtans divinarum rerum, ac Theologiæ cognitio:

quam

quam ego fama prius acceptam, uſu poſtea, & colloquio, quod tecum iis de rebus habui, majorem opinione mea comperi. Memini enim aliquando me privato in congreſſu, ſermoni cuidam tuo intereſſe, qui de abſtruſiſſimis media ex Theologia quæſtionibus cum viris doctis habebatur: ac tum ea te partim ponere in percontando; partim exponere, ac reſpondere, quæ nihil in iis novum eſſe tibi, nihil inauditum, aut ignotum oſtenderent. Ac mihi ſic in illa tota ſermocinatione verſari videbare, ut ſubtilitate diſſerendi, & acumine nihilo iis inferior eſſes, qui ætatem omnem his in doctrinis contriverant: explicandi verò perſpicuitate, ac facilitate, longè omnibus antecelleres. Quocircà meliorem ſuſceptæ hîc à me controverſiæ judicem, quatenus neque intelligentiorem, neque graviorem, quàm tu es, optare potui neminem. Nam æquitati, quæ haud minus in judicando, quàm ſuperiora illa, locum habet, planè confido tuæ: qui ſupremam hoc in regno, juris, æquíque diſpenſationem non magis officio, quàm animi integritate, probitatéque

que ſuſtines. Quæ jam olim nota, & perſpecta, antequam in ſummum illud dignitatis culmen aſcenderes; multò, poſtquam eò provectus es, expreſſioribus documentis enituit.

Supereſt ut & cauſſa ipſa digna ſit, quæ ad tuam cognitionem deducatur. (Non enim parvis de rebus tanta interpellanda eſt auctoritas) & non injucundus ego in te adeundo, importunúſque ſim. Sed in alterutro cunctari, id eſſet prudentiæ tuæ, aut bonitati diffidere. Res primum agitatur hîc omnium maxima, & graviſſima; in qua non unum aliquod, & ſeparatum fidei caput vertitur: ſed tota ipſa, quanta eſt, Chriſtiana pietas, ac religio: Chriſtianum, inquam, nomen omne continetur. Non enim ambigi debet, quin ſi verum illud eſt, quod iſta, quam oppugnamus, Diſſertatio tuetur; hoc eſt, hi ſacerdotali fideles omnes, etiam profani, jure, ac conſecrandi poteſtati ſunt præditi; Chriſtiana, & Catholica prorſus Eccleſia labefactata concidat. Quæ cum humano corpori ſimillima ſit; ut non uno Apoſto- Rom. 12. & 1 Cor. 12.

lus

lus in loco prædicat; uti prius illud absque membrorum ac facultatum varietate; sic ista, sublata Ordinum, functionúmque distinctione, jam non solùm deformis est, ac fœda, sed nulla. Siquidem corpus 1 Cor. 12. non est unum, membrum, sed multa (*ait Apostolus*) &, Quod si essent omnia unum membrum ubi corpus? *Missa hoc loco facio flagitia cætera Dissertationis ejusdem, quæ te malo in nostro Confutatione legere. In qua pressiùs fortasse, quàm pro tanto argumenti merito, atque copia, de eo sermonem feci. Sed habenda ratio fuit tùm occupationum tuarum; quæ nt* sacræ *justiùs, quàm illæ Tiberii, appellari merentur; sic cas longiore distinere mora, contra sacra peccare est, adeóque pene esse sacrilegum. tum verò prudentiæ, ac præclaræ, ut suprà memini, iis in studiis eruditionis tuæ: quæ non plura ad rem penitus intelligendam: ac ne ista quidem pauca desiderat. Jam quod alterum est, ac mea potissimùm interest, quo sis animo meam* Sueton. in Tib. c. 27.

hanc

hanc in appellando te fiduciam accepturus; tam verendum non est; quàm nec mihi de tua in me, ac literarum studiosos omnes humanitate: nec tibi de mea in te, cujus istud specimen extare volui, observantia & voluntate dubitandum. Vale. Lutetiæ Parisiorum X. *Cal. Jan.* CIↃIↃCXXXVIII.

Illustrissimæ Amplitudini T.

Addictissimus, devotissimúsque,
DIONYSIUS PETAVIUS
è Societate JESU.

INDEX CAPITUM
Hujus Diatribæ.

CAPUT I.

Occasio Disputationis ex loco quodam Tertulliani; qui Christianos omnes Sacerdotes facere videtur. Præstruuntur nonnulla ad illam necessaria. quatenus oblatio sine consecratione facta sit. De oblatione Laicorum. pag. 47.

CAP. II.

Tertulliani locus explicatur adversus Anonymum, quomodo Laici obtulerint citra consecrationem, exponitur institutio sacerdotum. ex Evangelistis petita. p. 61.

CAP. III.

Cætera Dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii, in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque Feminas, neque inferiores sacerdote Clericos, consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, & Ancyranus Canones expositi. p. 97.

CAP. IV.

De altera quæstione, quam Dissertatio continet: An semper communicandum per symbola: ubi de communione, & usu sacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Ecclesiæ communione discedere. Expenduntur causſæ, propter quas interdum fas illud esse Dissertationis Auctor existimat. p. 79.

CAP. V.

CAP. V.

De duplici Scripturæ loco; altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur: altero Joannis tertio; ex quo Baptismi necessitas adstruitur. Uterque falsò ab Dissertationis auctore acceptus, sine baptismo parvulos in æternum perire. p. 120.

Apro-

Approbatio Doctorum sacræ Theologiæ Parisiensis.

NOs infrascripti in sacra facultate *Parisiensi* Doctores, testamur libellum, cui titulus est, DIONYSII PETAVII *Aurelianensis è Societate* JESU, *de potestate consecrandi & sacrificandi*, &c. à nobis lectum attentè, & omnino probatum, utpote qui nihil contineat Orthodoxæ fidei vel Christianis moribus dissonum, aut repugnans. Ita censuimus, subscripsimus.

Parisiis, Novembris 15, 1638.

P. D'HARDIVILIER.
C. PATU.

De

De Potestate consecrandi & Sacrificandi Sacerdotibus à Deo concessa: deque communione usurpandi Diatriba.

CAPUT I.

Occasio *disputationis ex loco quodam Tertulliani*; qui Christianos *omnes Sacerdotes facere videtur.* Præstruuntur *nonnulla ad illam necessaria. quatenus* oblatio sine *consecratione facta est. De oblatione* Laicorum.

PRoximè venit in manus meas Dissertatio cujusdam Anonymi *Amstelodami* hoc anno edita; cujus duplex erat caput. Prius *de cœnæ administratione ubi Pastores* *Apud I. Columnam.* An. 1638.

res non sunt, inscribitur. Posterius *an semper communicandum per Symbola.*

In illo propositum hoc sibi Auctor habuit, consecrandi Dominici corporis potestatem ex æquo Christianis à Christo concessam omnibus fuisse, nonnullorum verò opinione etiam fœminis. Sed ita ut laici extra necessitatem minimè id usurpaverint. Ubi autem nullus esset Sacerdos, impune hoc non feciſſe solùm; sed etiam potuisse facere. Similiter atque in Baptismo usu venit quem ubi nulla presbyterorum, aut virorum copia sit, fœminis administrare licet. De altero capite pòst agemus: nunc à priore disputandi capiemus initium.

Hujus itaque dogmatis, quod consecrandi, conficiendique Dominici Sacramenti promiscuam potestatem Christianis omnibus facit; testis ac vindex ante omnes *Tertullianus* adducitur. *Cap. 7* Hic enim in libro de Exhortatione castitatis,

castitatis, cùm à secundis nuptiis non minùs laicos, quàm sacris addictos ministeriis absterrere vellet; *Nonne* (inquit) *& laici sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo, & patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tinguis, & sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, ecclesia est, licèt laici. Unusquisque enim sua fide vivit*, &c. *Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers?* &c. Ex hoc Tertulliani loco concludit Anonymus; laicos, sicubi necesse fuit, ac cùm nulla copia sacerdotis esset, non minùs ἁλογεῖν, & ἁγιαζειν, id est *consecrare*, quàm baptismum impertiri potuisse. Quippè verbum *offerendi* apud Tertullianum *hoc sensu solere sumi, ubi conjungitur cum tingere, id est baptizare.* Adjungit & alios re-

centiores Tertulliano moris ejusdem, ac juris auctores; quos subinde proferam.

Ut in Tertulliano sistamus gradum, & universè de nova hac opinione, quod nostrum sit judicium explicemus. primum illud defendimus; *offerendi* verbum, neque apud Tertullianum, neque apud Scriptores alios id semper valere, quod Anonymus affirmat, & verò debet affirmare; si quis disputatione ista promovere vult: hoc est *consecrare*, & *conficere* Dominicum sacramentum. quod solos aio non modò jure fecisse; sed etiam potuisse presbyteros: cæteros autem, tam inferioris gradus clericos, quàm laicos, si id usurparint unquam, nihil prorsus egisse.

Totus igitur in eo cardo quæstionis vertitur; utrum quoties *offerre* apud veteres illos legitur, actionem eam significet, quæ consecratio dicitur, & ἀναφορὰ, sive ἀνάθεσις. Nam si ita res habet; non est cunctandum, quin consecrasse fateamur laicos, qui obtulisse dicuntur. Sin est, ut alia quæpiam

quæpiam functio, & à consecratione diversa eadem illa voce contineatur, non erit consequens quod Dissertationis Auctor existimat.

Atqui *offerendi* vocabulum, & *oblatio*, etiam cùm de re ad sacrificium, ac λειτουργίαν pertinente apud antiquos accipitur; non semper consecrationem aut significat, aut inclusam, & comprehensam habet: sed aliquid aliud ab illa separatum ac diversum.

Etenim oblatio propriè, ac præcisè est rei alicujus repræsentatio, quæ Deo donatur: neque necessariò mutationem ullam exprimit, quæ in oblata re fiat. Hebræi *oblationem* vocant קרבן quod nomen generale est, ac tam de inanimis, vitáque carentibus, quàm animatis dicitur. Quare illa etiam δῶρα complectitur, quæ ita, ut erant, consecrata Deo manebant: ut aurum, æs, & alia donaria, quæ in templo reservabantur: arque etiam frumentum, vinum, oleum, quod ad usus sacrorum, aut sacerdotum offerebatur. nec non pecuniam, quæ in gazophylacium mittebatur, ac the-

saurum sacrum, qui propriè קרבן Græcè κορβανᾶ Matth. xxvii. 6. dicitur. Quæ omnia cùm offeruntur, ac Deo dicantur, nullam mutationem patiuntur.

Sic in Christiana Ecclesia vetere ad altare offerri varia munuscula consueverant, uti mel, lac, aves, & animalia quædam, ac legumina, quæ deinceps offerre prohibet canon tertius Apostolicus; ac novas duntaxat spicas permittit; nec non oleum, & thymiama. Quæ omnia non soli fideles offerebant: sed etiam Episcopus, vel sacerdos ab illis accepta. quod verba Canonis indicant. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὸν κυρίου διάταξιν τὸν ὑπὲρ τῆς θυσίας προσενέγκῃ ἕτερά τινα. Quæ Dionysius ita vertit: *Si quis Episcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram; & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Ac subinde

ſubinde, *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt incenſum, tempore, quo celebratur oblatio.* Hinc ergo conſtat, Epiſcopum, aut ſacerdotem, qui veram, & incruentam oblationem, ac ſacrificium offerebat; etiam alia præter illud obtuliſſe; in quibus nulla fiebat conſecratio: eámque oblationem & ad altare factam, & eo tempore, quo divina myſteria peragebantur. Simul hoc obiter notandum, *offerendi* verbum latiùs patere, nec de ſolis uſurpari ſymbolis Dominicæ Paſſionis, quæ non offeruntur ſolùm; ſed etiam conſecratione mutantur. Sine qua mutatione non poteſt ſacrificii ratio conſtare; ut accuratius in Scholis Theologi diſputant.

Addam & illud ex uſu Judæorum, & ſermonis conſuetudine; cùm haberent genus quoddam oblationis; in quo id quod offerebatur Deo, ferro vel igne conſumi, extingui, exterminaríque deberet; quod Græcè ἀνάθεμα, Hebraicè חרם appellatum eſt;

est; nihilominùs hanc ipsam vocem חרם de iis interdum dici consuevisse, quæ integra, & intacta manebant; ut sunt agri, & prædia; ut ex Levitici xxvii. liquet.

Itaque cùm ejusmodi in oblatione duplex interveniret actio; altera, qua cultui, honorique divino res illa dicabatur, & offerebatur: altera, qua res eadem perimebatur: qua ex actione nomen *Cherem* propriè est impositum; accidit tamen, ut hac posteriore dempta, sola prior communem appellationem obtineret. Ideò quoties nominari anathema, vel *cherem* audimus; non statim consequens est, aboleri, extinguique rem, de qua agitur; sed ex ejus natura, & conditione quid factum sit, prudenter erit æstimandum.

Ad hunc modum & de Christiana oblatione, altarisque sacrificio judicare convenit. Est enim, ut in antiquæ legis sacrificiis; sic in Novæ unico illo pars, sive actio duplex: una est quæ propriè oblatio, Græcè προσφορὰ dicitur; qui est ritus, in verbis,

verbis, aut actione aliqua consistens; quibus res quæ hactenus profana erat, Deo traditur, & in ejus quasi mancipium transfertur. cujusmodi in Mosaicæ legis sacrificiis fuit impositio manuum super hostiam: tùm elevatio, & agitatio quarumdam ejus partium ad quatuor mundi partes: quam Hebræi תנופה vocant; de qua R. Selomoh ad caput XXIX. Exodi, ubi Scriptura ritus istos indicat, nec non Levitici 1. & sequentibus.

Altera pars erat hostiæ mactatio, & combustio. Sic in Christiano sacrificio tam προσφορὰ, sive oblatio, quàm consecratio cernitur, qua panis, atque vini substantia deletur, & in Christi corpus, & sanguinem convertitur. Totum ipsum tamen sacrificium ab una & priori actione nomine accepto, vocatur oblatio.

Ac fieri potest, ut ex duabus, sola tantùm usurpetur oblatio. quemadmodum in ea λειτουργία usuvenit, quæ ἐπὶ τῆς προηγιασμένων à Græcis appellatur: qualem in Paraseue magna Latinæ Ecclesiæ consuetudo retinet.

Tum

Tum enim Dominicum corpus offertur sine consecratione, quæ pridie est facta. De hoc ergo λειτουργίας, sive oblationis genere si qua vel scripto, vel sermone mentio fieret, erraret profectò, qui cùm λειτουργίαν, oblationémque essefactam audiret, statim huic adjunctam fuisse consecrationem diceret.

Sciendum est præterea dupliciter ab consecratione divelli oblationem potuisse. Primùm illo modo, quem dixi; cùm longè ante consecratus panis vivificus offertur. Secundò cùm ante consecrationem, ab laicis, etiam mulieribus offerebatur. Mos enim in Ecclesia veteri fuit, ut qui communicandi jus haberent, iidem panem & vinum in Ecclesiam portarent, & ibidem offerrent; quod etiam *sacrificium* vocat Cyprianus in libro de opere & eleemosyna: *Locuples, & dives es* (inquit) *& dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non respicis; quæ in dominicum sine sacrificio venis: quæ in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Augustinus

gustinus Sermone 215. de Tempore. *Oblationes, quæ in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Hanc Græci canones προσφορὰν vocant. cujus soli fideles jus habebant, qui neque abstenti, neque pœnitentes erant; sed integram dignitatem habebant. Atque hæc erat perfecta communio, ad quam pœnitentes, & à sacris extorres aspirabant, ac per longissimi cruciatum temporis, squallorémque perveniebant; uti jus haberent oblationis, quam κοινωνίαν vocat μὴ προσφορᾶς. Itaque postremus, qui & quartus pœnitentium gradus, quam σύστασιν vocabant; in quo divinis mysteriis, sine corporis Christi participatione interesse poterant, neque sub Missam catechumenorum unà cum aliis excludebantur; appellari solet κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς, ut in Nicæno canone 11. quæ Dionysius Latinè sic concipit.

Nicænus canon. 11. Δύο ὃ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

Duobus autem annis

annis sine oblatione populo in oratione communicent. Et in Ancyrano canone XVI. simpliciter nominatur προσφορά. τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς, *oblationem, vel communionem assequantur.*

Ilerdense Concilium Canone IX. *Fidelibus in oblatione Eucharistiæ communicent.* vel, ut alia lectio, & quidem melior, exhibet, *in oblatione, & Eucharistia.* Nam ex XI. Canone Nicæno expressum illud est, quod habet, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς. Ac ne quis existimet προσφορὰν in istis Canonibus, ipsam esse Eucharistiam, sive Christi corpus, quod à sacerdote est oblatum: non autem id quod à laicis fidelibus offertur; primùm expendat locutiones illas, κοινωνῆσαι μετὰ προσφορᾶς; quod non potest idem esse, ac participem esse corporis Christi, vel oblationis à sacerdote consecratæ. Nemo enim dixerit, κοινωνῆσαι μετὰ σώματος Χριστοῦ pro eo quod est, *corporis Christi esse participem:* sed sine dubio idem illud est, ac *communicare cum oblatione*; hoc est *jus habere offerendi.*

rendi. Deinde Concilium Vaſenſe I. Can. 2. ſtatuit, ut ſi pœnitentes *abſq; communione in ipſo curſu ſatisfactionis præventi fuerint, eorum oblatio recipiatur.* Ubi non alia intelligi poteſt oblatio, quàm quæ ab ipſis offertur. Sic etiam Arelatenſe II. Can. 12. decrevit, de eo qui in pœnitentia poſitus vita exceſſerit, ut pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur. Eodem & Eliberitanus Canon XXVIII. meo quidem judicio ſpectat: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Nam πλὴν προσφορᾶν, hoc eſt oblationem interdicit; quæ ſolis permiſſa communionis juræ præditis. Sic & canone ſequenti, energumeni nomen cum oblatione recitari prohibet ad altare. Sed hæc ſatis ſunt. Non enim pluribus opus eſt; ut, quod canonum, ac diſciplinæ veteris periti ſatis intelligunt, probemus, laicos offerendi jus habuiſſe. Neque verò tam hebes erit quiſpiam, ut eoſdem conſecraſſe putet. Nam qui hoc illis conceſſum fuiſſe vult Diſ-

sertationis Auctor, non passim, & ubique, sed in summa necessitate, ac penuria sacerdotum licuisse confirmat. Atqui oblationes illæ, quas laicis canones attribuunt, media in Ecclesia, summáque in pace Christiani populi, coram Episcopis, ac Presbyteris fiebant. Non igitur consecratio perpetua comes erat oblationis. Certè Tertullianus ipse in libro de Monogamia, cap. x. de fideli vidua loquens, ait eam *offerre annuis diebus dormitionis* viri vita jam functi; hoc est oblationem *pro anima ejus* ad altare facere, quam nemo consecrasse dixerit Eucharistiam. Non est igitur idem semper προσφέρειν, quod εὐλογεῖν, aut εὐχαριστεῖν, hoc est consecrare, & ex pane, ac vino Christi corpus facere.

CAP. II.

CAPUT. II.

Tertulliani locus explicatur adversus Anonymum. quomodo Laici obtulerint citra consecrationem. exponitur institutio sacerdotum ex Evangelistis petita.

HIS præmuniti, ad Tertulliani locum accedamus: quod præcipuum firmamentum Dissertationis habet Auctor. Illius verba sic interpretatur; ut cùm laici sine sacerdote alicubi fuerint, non minus consecrare, & offerre Christi corpus possint, quàm tingere, hoc est baptizare. Ac si id solus Tertullianus affirmaret ex suo sensu; nihil hoc magnoperè curandum esset. Responderi enim facilè posset, quod & Hieronymus ait, *hominem Ecclesiæ non fuisse.* vel, ut Hilarius scribit, canone v. in Matthæum

thæum, *consequentem errorem hominis detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.* Quo ex genere *probabilium scriptorum* constat non esse librum de Exhortatione ad Castitatem; quem Montani implicatus erroribus contra Catholicam scripsit Ecclesiam. Verùm quia Tertullianus hujus instituti, ac moris sic meminit, ut eum passim apud omnes usitatum fuisse demonstret. Alioqui *ex re non ab aliis, credita, cum aliis agens, argumentum non nisi stultè duxisset*, ut ait Anonymus: Probat enim omnes Christianos, etiam laicos, sacerdotali lege teneri, quæ secundas nuptias prohibet; quoniam omnes sacerdotes sunt, & quæ sacerdotum propria sunt usurpant, si necessitas ferat; cujusmodi sunt offerre, ac tingere. Ideò non utar hac præscriptione; & hoc ultro concedam, de eo loqui Tertullianum, quod in parte Catholica fiebat; ac proinde laicos, cùm sacerdotum deerat copia, oblationem, ac baptismum administrâsse. Verùm quod ejusmodi laicorum oblationem

lationem talem fuisse putat, qualis fuit sacerdotum; ut consecrationem annexam haberet, ac verum esset sacrificium: id verò falsum esse defendo. Neque hoc ex Tertulliani verbis fateteri cogimur. Si quidem oblationem plerumque ab consecrandi actione sejunctam fuisse suprà demonstravimus. Mos ille vetere in Ecclesia fuit, ut in Synaxibus, ac legitimis conventibus, qui Dominicis præsertim diebus habebantur; ut ex *Plinio, & † Justino Martyre colligitur, Eucharistiam id est corpus Dominicum, sive panem consecratum unusquisque fidelium acciperet, eóque pro eo ac vellet uteretur; hoc est vel statim absumeret; vel reservaret, ac domum deferret. Docet hoc Tertullianus in extremo libro de Oratione. *Accepto* (inquit) *corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Suadet enim ut stationum jejunia celebrant, à sacrificiis non absint, quod fieri quidam oportere putabant, eo quòd statio sol-

* Plin. lib. 10. ep. 97.
† Justin. Apol. 2.

venda

venda sit, hoc est jejunium, *accepto corpore Domini.* Verùm ita moderandam esse rem decernit, ut & sacrificio interssint, & Christi corpus, ac quod ibi distributum acceperint, reservent; ne jejunium solvant. Quinetiam Basilius M. in Epistola CCXXXIX. ad Cæsariam Patriciam, eandem consuetudinem ætate sua servatam esse confirmat in Ægypto, & Alexandria. cujus verba paulò pòst referam.

Cùm igitur Christiani persecutionis metu in cryptis, ac latebris delitescerent, credo assensuros facilè omnes, interdum usuvenisse, ut Christi corpus secum eò portarent; ac si nullus esset sacerdos, delectus aliquis è laicorum numero, illud ipsum offerret Deo, certis ad id precibus adhibitis, quas in synaxibus audire consueverant, atque in omnes distribueret. Ita enim sacrificii, ac publicæ & legitimæ λειτουργίας speciem quandam usurpabant; quæ magno ipsis esset solatio. Hoc tum illi faciebant, cùm sacerdotum nullam omninò copiam habere poterant. Nam si commodè

id

id posset fieri, ad illos sacerdos aliquis aspirabat; præsertim ad eos, qui propter Christi confessionem in carcere, ac custodia vincti detinebantur, quos confessores nominabant. Hujus rei locupletem dabo testem Cyprianum in Epistola v. ubi in adeundis visitandisque confessoribus cautione ac prudentia uti præcipit; ut ne *glomeratim, ac per multitudinem simul junctam*, ad eos accedatur; *ne ex hoc ipso invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur.* Tum ut *presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent: quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam.*

Hic Cypriani locus ad propositum nostrum, & hoc, quod instituimus, probandum aptissimus est. Nam si laici; immò etiam, ut apud dissertationis Auctorem quidam significant, mulieres; absente sacerdote offerre, & consecrare poterant, quid attinebat ad illos confessores, qui in carcere, & ergastulis vincti erant, tanto

cum capitis periculo ventitare, sacerdotes, & Diaconos, ut pro illis offerrent? Nimirum expedita res erat, & facilis; mandare illis, ut ipsimet sibi sacrificium celebrarent, hoc est consecrarent, & offerrent Christi corpus; ut ne Presbyteri minimè necessarium se in vitæ discrimen committerent, quo id illis præstarent, quod per se obire ipsi poterant. Non igitur prorsus omni sacerdotali potestate, ac functione laicos Tertullianus instruxit: neque consecrare, aut corpus Christi ore conficere, ut Hieronymus loquitur; posse illos credidit: sed offerre tantùm. quod quia soli fere, ac publicè, & ordinario usu sacerdotes faciebant; ideò laicos, qui idem interdum, & in necessitate agerent, sacerdotes esse dixit, non præcisa, & exacta ratione, sed similitudine quadam, & declamatoria hyperbole.

Nunc argumenta, quibus novum illud commentum suadetur, expendamus. Horum illud est primum: Lucas Evangelista, cùm de institutione agit Dominici corporis, cap. XXII. 19.

19. refert Christum ita jussisse, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Paulus, 1 Cor. XI. 24, 25, 26, &c. ad omnes fideles, etiam laicos, pertinere significat. Nam commate 26. ex illo Christi mandato concludit sic: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, &c. Quasi commemoratio illa, quam fieri Christus præcipit, ipsis etiam laicis injuncta sit, à quibus eam fieri testatur Apostolus.

Hîc longior, & perplexior, quàm pro instituta brevitate, quæstio commovebitur, si de Lucæ, ac Pauli verborum sensu disputare voluero, ac docere, quemadmodum Christus illis ipsis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolos sacerdotes instituerit, & offerre corpus suum, ac sanguinem, hoc est sacrificare jusserit. quod Tridentinum Concilium decrevit Sess. 22. Canone secundo: & longè antè Gaudentius Brixianus docuerat Sermone II. ad Neophytos. qui verba illa Christi de-

clatans; *Ideò* (inquit) *discipulis fidelibus mandat, quos primos & Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indefinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis sacerdotibus per cunctas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de cœlis adveniat.* Quare missum illud hoc loco faciam: & hoc unum afferam, quod ad infringendam vim illius argumentationis satis esse possit. Christus Dominus cùm sacramentum, & sacrificium corporis, & sanguinis sui nocte illa institueret, ac traderet, duo quædam egit; alterum per sese, ac directè; alterum obliquè, ac velut ex consequenti. Horum primum in eo situm erat, ut Apostolis, ac sacerdotibus mandaret, ipsum ut sacramentum, & sacrificium conficerent, & offerrent, adeóque consecrarent. Hoc enim propriè ac directè verbis istis exprimitur: *Hoc facite in meam commemorationem:* quod ad eos, qui actioni illi intererant, Apostolos refertur. Alterum ad omnes fideles, etiam laicos sexus utriusque pertinebat;

bat; ut & ipſi in ſumenda, participandáque Euchariſtia, pro ſuo modulo, ac ſtatu, paſſionis Chriſti memoriam adumbrarent. Quod & Gaudentius in ſecundo illo, quem laudavimus, Sermone meminit; cujus verba quia præſentem ad rem valde pertinent, hîc neceſſariò deſcribam. Nam poſt illa verba, quæ proximè antè poſui, in quibus Apoſtolos à Chriſto ſacerdotes illa ipſa nocte, qua ſacramentum corporis ſui, & ſanguinis condidit, inſtitutos ait, incontinenti iſta ſubjicit: *Quo & ipſi ſacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar paſſionis Chriſti ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam ſumentes, ac pectore, redemptionis noſtræ indelebili memoriâ teneamus.* Sed & Auguſtinus in tertio de Doctrina Chriſtiana, capite XVI Chriſtum ait, iis verbis; *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. *præcepiſſe paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter, atque utiliter recondendum in memoriâ, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.*

Utrique

Utrique igitur, & sacerdotes, & laici quod faciunt, in Christi memoriam faciunt, ejúsque passionis: sed hi sumendo duntaxat; illi consecrando, ac sumendo. Neque necesse est, ut quod in commune obeunt utrique, eodem ab singulis modo transigatur. Fingamus enim illa ipsa verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, ad fideles omnes tam sacerdotes, quàm laicos à Christo esse dicta; an ideò consequens erit, eâdem omnes ratione quod præceptum est exequi? Non opinor. Etenim iis etiam in mandatis, quæ universè, infinitéque omnibas edita videntur, cautione est opus, ut ratio habeatur quid cuique generi hominum, & conditioni, ac personæ congruat. Quod prudenter animadversum est ab Augustino eodem illo in libro, capite decimo-septimo. *Erit igitur etiam hoc* (inquit) *in observationibus intelligendarum scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi; alia singulis quibusque generibus personarum.* Idque adeò quotidiano usu contritum est. Nam cùm

cùm dicimus Cæsarem, exempli causſa, cum copiis ſuis in Pharſalicis campis adverſus Pompeium certaſſe, atque hoſtium multa millia cecidiſſe, aliter hoc ab Imperatore ipſo; aliter à militibus geſtum intelligunt omnes, qui aliquid intelligunt. Aut cùm Samuel 1 *Reg.* 15. Dei juſſu Saüli præcepit ita: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus,* &c. *ſed interfice à viro uſque ad mulierem,* &c. quamvis hoc præceptum, & ejus executio ad omnem exercitum non minùs, quàm ad regem ſpectaret, nemo tamen adeò deſipiat, ut eodem modo putet quod injunctum erat, ab utriſque præſtari debuiſſe: ut ſuapte manu, quod miles fecit, Rex ipſe hoſtes jugularet, urbes ac domos everteret, bobus & aſinis necem inferret. Quippè ſic illi præcepto obtemperari voluit Propheta, ut quæ cujuſque partes erant in agendo, eas quiſque ſervaret; dux & imperator præcipiendo, ac regendo; miles manum admovendo. Quod igitur communis hominum in vita

vita sensus habet, id in illo Domini præcepto de repræsentanda passionis suæ memoria valere necesse est: ut aliter id sacerdotes, aliter laicos agere ac tractare voluerit, non promiscuè omnia omnes exequi. Sanè cùm in veteris Testamenti libris legimus profanos homines obtulisse sacrificia, & immolasse victimas; velut 2. Paralip. 7. 4. *Rex autem* (inquit) *& omnis populus, immolabant victimas coram Domino*; non potest eodem modo, ac sensu accipi, atque cùm dicitur idem ab Aarone, ejúsve posteris esse factum, quibus solis constat sacrificare, hoc est victimas immolare licuisse. Pro eorum itaque, de quibus agitur, statu, & conditione edictorum moderanda sententia est. Quare idem & de verbis illis judicium esse debet, quibus in novo Testamento, offerendi, vel sacrificandi usus atque functio etiam laicis accommodari videtur: ut non eodem modo, quo sacerdotes, id intelligantur facere.

Sequitur Tertulliani locus ex libro de Corona militis, ex quo Dissertationis

onis Auctor effici putat, ex instituto Christi promiscuam omnibus fidelibus potestatem esse factam consecrandi corporis Christi. Sic enim Tertullianus capite tertio. *Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus.* Ubi ex Tertulliani mente sic institutum existimat Eucharistiæ sacramentum, ut omnibus passim illius consecrandi potestas facta sit; nisi quod ea jure Ecclesiastico, ac traditione restricta est, & solis permissa *præsidentibus*, hoc est sacerdotibus. Quod etiam & in baptismo valere ex ejusdem sententia Tertulliani putat, qui in libro de Baptismo cap. 17. dandi jus baptismi etiam laicis esse dicit: sed ita ut in necessitatibus duntaxat eo jure utantur; cæteris temporibus, id Episcopo, aut Clericis relinquant, ut pax Ecclesiæ servetur. Hinc Dissertatio colligit, *morem etiam receptum à Christianis illius ætatis fuisse, ubi talis occasio se obtulerat*, non

minus offerendi, id est sacrificandi consecrandique, quod laicos attinet, quam baptizandi.

Verùm falsa est, ne quid acerbius dicam, ista ratiocinatio. Primùm enim, demus hoc, quod Tertullianus ait, *Eucharistiæ sacramentum mandatum omnibus à Domino*, sic intelligendum, nihil ut de ejus consecratione, confectionéque sit expresè cautum, & institutum: sed infinitè, universéque mandaverit omnibus, *Accipite*, &, *Hoc facite in meam commemorationem*: non tamen sequetur hoc, quod dissertatio docet, laicis, aut mulieribus à Christo permissum esse, ut consecrare, vel offerre, hoc est sacrificare possint: sed hoc solùm, quod non gravatè concedam; ejus, quod confusè, ac minus expresè Christus mandaverat, Traditionem interpretem fuisse; quæ nos docuit, neminem consecrare posse Christi corpus, nisi qui *sacramentum ordinationis* habet, ut appellat Augustinus libro de bono conjugali cap. 24. quod & non minus esse sacramentum, quàm

est

eſt baptiſmus alibi dicit, in ſecundo contra Parmen. cap. 13. & utrobique neutrum iterari poſſe confirmat. Unde & Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Hilarium ſchiſmaticum ait, cùm ab Eccleſia receſſiſſet, ac non niſi Diaconus eſſet, *Euchariſtiam conficere non potuiſſe, Epiſcopos, & Presbyteros non habentem.* Col. 62. 1.

Cæterùm poteſt & alio ſenſu Tertulliani locus ille accipi, ut de conſecratione Euchariſtiæ non loquatur, ſed ſumptione. Cùm enim Chriſtus *accipere* ſimpliciter juſſerit, neque quo tradente, conſecrata jam utique & confecta, ſit accipienda dixerit, videbatur laicis permiſſum, ut undecumque, & ubicumque poſitam ipſi ſibi caperent; ſic ut in conviviis fieri aſſolet. Nam appoſitas ex menſa dapes unuſquiſque accipit, nec de manu invitatoris, ac domini neceſſariò illas expectat. Hoc igitur & in ſacroſancto illo epulo conceſſum videri potuit à Chriſto, ut conſecratam Euchariſtiam, & in altari, menſáve poſitam

poſitam ſibi quiſque fidelium tolleret; non autem ut de manu præſidentis acciperet. quod Traditione ſola auctore inſtitutum, atque uſu receptum Tertullianus admonet. & Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone morem hunc Eccleſiæ veteris indicat fuiſſe in ſacris Synaxibus, & ſacrificiis celebrandis, ut benedictione conſecratam à præſule Euchariſtiam Diaconi acciperent, & in populum diſtribuerent. Baſilius in Epiſtola CCXXXIX. ſciſcitanti, ut apparet, Patriciæ Cæſariæ, an ſuapte manu laico liceret communionem capere; quatenus id facere moris eſſet ætate ſua demonſtrat. Cujus verba quoniam ad id, de quo agimus, opportuniſſima ſunt, non erit otioſum hîc deſcribere. τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς (ait) ἐναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως, ἢ λειτουργοῦ τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, μηδαμῶς εἶναι βαρὺ, περιττόν ἐστιν ἀποδεικνῦναι. ἐπὶ τὸ τὴν μακρὰν συνήθειαν τοῦτο δι' αὐτῶν πραγμάτων πιστώσασθαι. πάντες γὰρ, οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μή ἐστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες

ἀφ'

ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν ἐν Αλεξανδρείᾳ δὲ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τολοιώτων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος, καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ, καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, παρὰ τοῦ δεδωκότος εἰκότως μεταλαμβάνειν, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. καὶ γὰρ καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὁ ὑποδεχόμενος μετ' ἐξουσίας ἁπάσης, καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ τοῦ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. *Quòd autem per tempora persecutionis cogebatur aliquis absente sacerdote, vel ministro, communionem suapte manu capere, non iniquo animo ferendum esse, supervacaneum est ostendere: eo quòd inveterata consuetudo id rebus ipsis affirmaverit. Etenim omnes, qui per solitudinem monasticam vitam instituunt; ubi non est sacerdotis copia, communionem domi habentes, de suis manibus accipiunt. Alexandriæ autem, & per Ægyptum, unusquisque, etiam laicus,*

ut

ut plurimum habet domi suæ communionem. Nam cùm semel sacerdos sacrificium peregit, ac distribuit; qui illam integram simul accepit, dum quotidie de ipsa capit; meritò credere debet, se ab illo qui dedit, participare, & accipere. Etenim etiam in Ecclesia sacerdos particulam porrigit; eámque retinet is, qui accepit plena cum facultate; atque ita manu sua ad os admovet. Quamobrem vim eandem habet sive particulam unam à sacerdote quis accipiat; sive plures simul particulas. Hæc Basilius. Unde constat mos ille, quem Tertullianus ex traditione manasse vult, ut de manu sacerdotis, aut præsidentis Eucharistia capiatur; cùm primùm accipitur: minimè verò, quod Dissertatio pugnat; ut sibi quisq; conficere hoc sacramentum & sacrificium ullo loco, vel tempore profanus homo potuerit.

CAP. III.

CAPUT III.

Cætera Dissertationis argumenta, ac loca veterum explicantur. De historia Frumentii; in qua multum lapsa Dissertatio est. Neque fœminas, neque inferiores sacerdote Clericos consecrasse unquam. Nicænus, Laodicenus, & Ancyranus Canon expositi.

ALIUD huic argumentum subjicit Dissertationis Auctor ex historia Frumentii, quam refert Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. cap. 23. Sed Dissertationis verba ipsa præstat audire, ut quam insincerè locus ille petractatus sit, quod subinde planum faciam, melius Lector intelligat. *Cùm* (inquit) *ad Indos, id est, ut interpretor, ad Æthiopas, qui ex eo semper Alexandrinum Patriarcham suspexerant, venisset ab Alexandria laicus Frumentius, auctor fuit his, quos ad*

ad Chriſtum converterat, & paucis qui cum ipſo erant, ut Theodoreti utar verbis, κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λειτουργίας, *id eſt eo more, quo ſub Romano imperio fieri ſolebat, & convenire, & ſacra celebrare. At nemo ibi tunc Epiſcopus erat; nemo Presbyter; immò primus cum Epiſcopi dignitate, qui poſteà preſbyteros ordinavit, eò miſſus eſt poſt reditum ſuum Alexandriam, & rem renuntiatam ipſe ille Frumentius ab Athanaſio:* Hæc Diſſertatio: in quibus partim de ſuo multa præter mentem hiſtorici; partim etiam contra illam adtexuit, ut cauſſæ ſuæ ſerviret. Hujuſmodi, hoc eſt falſum, & contra Theodoreti mentem iſtud eſt, Frumentium *eos, quos ad Chriſtum converterat,* & *qui cum ipſo erant,* ad id hortatum fuiſſe, ut ſacra celebrarent. Nam Theodoretus non Indos ipſos, out Æthiopas; ſed Romanos negotiatores, qui mercaturæ gratia illûc appellebant, de ea re monitos refert à Frumentio. Theodoreti verba ſunt iſta, quæ ab Diſſertationis auctore mutilari

mutilari non debuerant: Εὐσεβείᾳ δὲ συντεθραμμένοι τοὺς αὐτόσε τῶν ἐμπόρων ἀφικνουμένους κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος συναγείρεσθαί τε, καὶ τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας προέτρεπον. Hoc est: *Cùm autem in pietate essent educati, negotiatores, qui eò navigabant, Romanorum more conventus facere hortabatur, ac sacros ritus celebrare.* Camerarius Theodoreti interpres verba illa κατὰ τὸ Ρωμαίων ἔθος, non ad sequentia retulit, sed ad præcedentia. Vertit enim, *mercatores, si qui, quemadmodum mos fert Romanorum, advenissent.* Sed præstat de sacris conventibus, & ritibus intelligere: uti Ruffinus facit; à quo historiam illam hausit Theodoretus, ut & Socrates, qui ante Theodoretum historiam scripsit, & Ruffini verba propius assecutus, nullam λειτουργίας mentionem facit, sed precum duntaxat. παρεκάλει (inquit) τόποις καταλαμβάνειν ἰδιάζοντας ἐπὶ τῷ τὰς Χριστιανικὰς ἐκτελεῖν εὐχάς. *Hortabatur, ut propria quædam ocuparent loca; ut in his Christianas preces obirent.* Quocirca, ut ex Ruffini

narratione constat, nec non Socratis, ac Theodoreti, quem unum Dissertationis Auctor adhibet; falsùm est primùm, Frumentium Indis illis, quos ad Christi fidem adduxerat, suasisse, ut synaxes ac sacros ritus Romanorum peragerent. Hoc enim Romanis ipsis negotiatoribus consilium dedit, quibus cum nullos fuisse sacerdotes magis suspicari, quam liquidò affirmare potest Anonymus scriptor. Immò verò credibilius est, aliquos secum advexisse presbyteros, longinquæ comites navigationis; uti mos est hodiéque Christianis. Ita necesse non erit, laicis neophytis sacerdotum mandare partes; quod Dissertationis commentum plenius, ac validius ex Ruffino refellitur: quem illius historiæ fundum esse dixi; à quo cæteri omnes acceperunt: sic enim rem ille narrat; libro historiæ suæ primo, capite 9. *Idque dum agerent, & regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, Deo mentem ejus, & animos instigante, requirere solicitius cœpit, si qui inter negotiatores Romanos Christi-*

ani essent; & ipsis potestatem maximam dare, ac monere ut conventicula per loca singula facerent, ad quæ Romano ritu orationis causſa confluerent. Perspicuum est non Indos ipsos novos Christianos ad illos conventus celebrandos instigasse Frumentium; sed Romanos negotiatores.

Præterea istud etiam ex Ruffino colligitur, non illis auctorem fuisse Frumentium, ut sacrificia celebrarent, ac sacramenta conficerent; sed tantummodo ut *orationis causſa* convenirent. Theodoretus verò, aut alius potiùs Interpres, qui in Græcum Ruffini Latina convertit, unde posteà Theodoretus accepit; hæc verba, *orationis causſa confluere*, ita reddidit, τὰς ἱερὰς ἐπιτελεῖν λῃτουργίας. Nam λῃτουργίας nomen, ut & συναξεως, universè significat conventus publicos sacróſque Christianorum, qui vel sacramentorum participandorum, ac divini sacrificii obeundi causſa celebrabantur, vel orationum duntaxat gratia, & divini audiendi verbi. Auctor enim est Socrates libro 5. cap. 22.

Alexandriæ certis diebus, ut feria 4. & 6. synaxes fieri solitas, in quibus Scripturæ legebantur, & ad populum conciones habebantur, χωρὶς τῆς περὶ μυστηρίων πλειτῆς, *sine ulla sacrificii, ac mysteriorum celebratione.* Quod ipsum aliis scriptorum testimoniis comprobare possem, nisi aut longior esse nollem; aut id modo ageretur; aut non alii denique hoc jampridem argumentum occupassent. Ad summam negari potest, & quidem Ruffino, ac rei veritate suffragante, sacras illas λειτουργίας, quas Frumentius negotiatoribus mandavit, adjunctam habuisse τὴν περὶ μυστηρίων πλειτῆν, quas *orationis caussa* tantùm institutas fuisse Ruffinus ostendit.

Pergit Dissertationis auctor, & mulieres interdum Eucharistiam consecrasse videri nonnullis ait ex Actis S. Petronillæ, quam vetus Martyrologium refert a. d. pridie Cal. Jun. *Celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, spiritum emisisse.* Verùm non dicit Martyrologium ab ipsa S. Petronilla celebrata

celebrata fuiſſe; eſtque multo probabilius ab ſacerdote aliquo, qui pro illorum conſuetudine temporum, quam ex Cypriano ſuprà demonſtravimus, ad eam venerat, ea fuiſſe peracta. Quare αὕτη ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασε. Clericos deinde ordinis inferioris, ut Subdiaconos, & Diaconos interdum obtuliſſe, conſecraſſéque adſtruit ex canonibus antiquis Conciliorum Laodiceni, Ancyrani, Arelatenſis primi.

Nam in Laodiceno, canone 25. decretum eſt, *non oportere miniſtrum panem dare, neque calicem benedicere:* ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτην ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. Ubi ὑπηρέται ſunt Subdiaconi, ut Zonaras, & Balſamo docent: qui & ἄρτον διδόναι interpretantur diſtribuere Chriſti corpus in fideles: quod ſolis Diaconis conceſſum. Iidem & calici bene dixiſſe videntur, hoc eſt conſecrationis verba protuliſſe. Quanquam nihil neceſſe eſt εὐλογίαν iſtam conſecrationem eſſe putare. Licet enim aliud genus benedictionis intelligere; velut crucis

ſignum

signum, quod super calicem ducerent, id est vas sacrum, cùm hoc Diacono traderent; tamen ne conjecturæ nostræ indulgere videamur; demus alicubi per illa tempora consecrare ausos esse Subdiaconos, aut etiam Diaconos, quos offerre ultrà prohibet Arelatensis primæ Synodi canon decimus-quintus. non potest ex eo deduci id quod Dissertatio studet, verè, ac reipsa consecrasse. quin potiùs contrarium inde colligitur, consecrandi potestate caruisse, quia id facere prohibiti sunt.

Atenim iccirco jure illo, & potestate, quam alioquin habebant, uti prohibentur; quia non temere, ac quovis tempore id illis permissum erat facere: *ob pacis, & constituti regiminis reverentiam*; sed *in necessitatibus*, ut Tertullianus loquitur, & ubi deerat sacerdotum copia. Sed hoc gratis, nullóque idoneo argumento Dissertationis Auctor asserit.

Non enim ex eo quod canones illi sacerdotum munia ab iis, qui sacerdotes non erant, usurpata fuisse demon-

demonſtrant, conſequens eſt illos ſi non jure, certè reipſa conſecraſſe, panémque in Dominicum vertiſſe corpus; (ut Gregorius Nyſſenus ait capite 38. libri Catechetici, ἄρτος (inquit) πρὸς τὸ σῶμα τῦ λόγου μεταποιέμενος. ad quod etiam, verbum μεταποιεῖσθαι ibidem accommodat. quod eſt *tranſmutare*: ut cùm Cyrillus libro 2. Glaphyrorum partis ſecundæ, pag. 219. editionis prioris, aquas in Ægypto μεταποιεῖσθαι dicit in ſanguinem, Moſis virga percuſſas.) Hanc ergo tranſmutationem, quam nos Catholici *tranſubſtantiationem* vocamus, nego alios unquam effeciſſe, adeóque ſacrificaſſe, quàm ſacerdotes. tentaſſe præter morem, prætérque fas, immò contra jus divinum, ac non ſine atroci ſcelere, Diaconos, aut inferiores miniſtros aliquando, non nego; neque verò ad rem, ut dixi, pertinet. Nam ex juris ac diſciplinæ corruptela, & exempli peſſimi facto, quod præſertim Eccleſiaſtica auctoritate damnatum ſit, non poteſt certa poteſtatis illorum fides, & auctoritas aſſumi.

Ac

Ac de diaconis quidem, extat Nicæni Concilii Canon decimus-octavus, qui offerendi, hoc est sacrificandi jus & potestatem negat penes Diaconos fuisse. Itaque hac de causa nefas esse judicat, quod in quibusdam locis fiebat, ut Eucharistiam darent Presbyteris Diaconi. Verba Canonis, quatenus ad rem faciunt, hîc legi debent. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ συνοδον ὅτι ἔν τισι τόποις, καὶ μεκρὸν πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν· ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἔξωσθεν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Hoc est, ut Dionysius Exiguus Latinè reddidit, *Pervenit ad sanctum, magnúmque Concilium, quod in quibusdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.*

Quo ex Canone liquet quantopere hallucinatus sit Auctor Dissertationis, idque

idque dupliciter. Nam & Subdiaconos existimat *ob multitudinem communicantium crescentem in dies* (verba sunt illius) *non tantùm porrexisse panem, sed & pronuntiasse verba illa, quibus calix benedicitur, sive consecratur: & deinde in posterum id nondum Diaconis, sed Subdiaconis tantùm interdictum*; videlicet Laodiceno illo Canone. Quæ posteriora cùm adjicit, illud significat, Subdiaconis, antequam canone isto prohiberetur, perinde licuisse, ac Diaconis, offerre; Diaconis verò deinceps etiam id esse concessum, postquam Subdiaconis interdictum est. Atqui huic assertioni è diametro contrarius est Canon ille Nicænus; qui Diaconos, (quod de Subdiaconis multo magis intelligi par est;) nullo neque jure, neque consuetudine offerre potuisse confirmat: ideóque nec Presbyteris Eucharistiam dare. Nam si jure aliquo vel consuetudine unquam obtulissent, etiam id quod obtulerant, hoc est Christi Corpus, sacerdotibus impertiri potuissent; quos eo solo nomine iis,

qui offerendi jus habebant, ſacerdotibus dare negat poſſe, quia offerendi poteſtate carebant. Porrò ſi, ut ex tanti auctoritate Concilii conſtat, neque jure, neque conſuetudine Subdiaconi, aut Diaconi offerre, ac conſecrare potuerunt, non ſolùm perperam Diſſertationis Auctor ex Laodiceno Concilio; ſed etiam ex Ancyrano contrarium infert. Quæ duo Concilia non longè abſunt à Nicæni tempore. fuit ergo παράχρησις mera, non legitima conſuetudo, ac recepta, quod utrique miniſtri ſacerdotales alicubi partes attigerunt.

Verùm quod Diaconos attinet, majus in Ancyrani Concilii canone firmamentum novæ ſuæ opinionis habere ſe putat Diſſertatio. Nam ibi decernitur, ut *Diaconi, qui ſacrificarunt* (in perſecutione) *ac poſteà reſipuerunt, & denuò certarunt, reliquum quidem honorem habeant; ceſſent autem ab omni ſacro miniſterio panem vel calicem offerendi, aut prædicandi.* Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μὴν δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην ἐμὴν ἔχειν,

ἔχειν, πεποίηται δὲ αὐτὰς πάσης τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας, ἢ τε τὸν ἄρτον, ἢ τὸ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Duo sunt in hoc canone, quæ Dissertationi favere videntur: alterum, quod Diaconos vetat ultrà sacerdotali munere fungi, quàm ἱερατικὴν λειτουργίαν vocat. Dionysius enim *sacerdotale ministerium* vertit: alterum quod offerre panem & calicem prohibet. Id autem est sacrificare. Porro si illius ordinis solos eos, qui ob culpam plectuntur, ab sacerdotalibus ministeriis excludit: ergo tam ipsi antequam peccarent, quàm cæteri, qui non peccarant, integrum jus idem retinuerunt, adeóque sacerdotum partes expleverunt.

Atqui cassa ista sunt & inania. Imprimis quod offerendi verbum eadem notione sumit, qua cum de sacerdotibus agitur, ut sit idem ac sacrificium offerre, multum fallitur. Nihil enim hîc aliud significat, quam repræsentare, ac porrigere panem, & calicem; idque dupliciter: aut sacerdoti sacrificaturo: aut populo,

post utriusque consecrationem. Nam utrumque Diaconi fuit officium. Justinus Martyr in Apologia secunda, veteris Ecclesiæ morem fuisse testatur, ut consecratum à sacerdote, vel, ut Tertullianus post illum loquitur, à *præsidente*, Eucharistiam, Diaconi dent singulis, qui illic assistunt. Εὐχαριστηθέντος, δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπιφωνήσαντος πᾶς ὁ λαὸς, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν Διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. *Postquam benedictione consecravit præsidens, & universus populus sanctis precationem acclamavit, tum qui vocantur Diaconi apud nos, dant cuilibet adstantium participare panem & vinum cum aqua, quæ benedictione consecrata sunt, & ad absentes deferunt.* Cyprianus in libro de lapsis, *offerendi* verbo usus est in illa Diaconorum significanda functione, qua Eucharistiam populo exhibent. *Ubi verò solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus*

bus cæteris locus ejus advenit, &c. Itaque *offerre calicem* non semper idem est, ac mysticam oblationem repræsentare Deo; sed, cùm de iis qui sacerdotes non sunt, dicitur, est præbere populo, & propinare. Nam quod λειτουργία in Ancyrano eodem Canone vocatur, tantundem est atque ἱερά, hoc est *sacra*: quæ vox in quibusdam codicibus occurrit, eámque Dissertationis ipse auctor expressit. Denique adversus omnia illa Dissertationis argumenta, interpretationésque Canonum, unum illud objicimus Niceni Concilii testimonium, tanquam validum, impenetrabilem clipeum, quo istud definitum est, nunquam in Ecclesia jus aut usum habuisse Diaconos, nedum aut inferioris gradus Clericos, aut Laicos, & quod etiam abominamur, fœminas, consecrandi, ac sacrificandi.

Sequitur Trullanæ synodi canon octavus & quinquagesimus, ex quo Dissertatio colligi putat, non primis tantùm Ecclesiæ temporibus; sed recentioribus etiam, observatum fuisse, ut

ut Laici, ubi Presbyteri non erant, sacra mysteria per se ipsi perciperent; & videlicet consecrarent, offerréntque Deo. Hoc enim agitur, & in eo sita est nova illa conjectura, opinióque Dissertationis; non in sola sumptione, & admotione jam consecratæ Eucharistiæ: quàm nemo nescit, id quod ex Basilio supra demonstravimus, acceptam à Diaconis, & reservatam, si vellent, usurpasse pro arbitrio Laicos, & suis sibi manibus admovisse. Atqui Trullanus iste Canon neutiquam de consecratione, ac sacrificatione loquitur, sed de sola sumptione. Verba Canonis: Μηδεὶς τῶν ἐν λαϊκοῖς τεταγμένων ἑαυτῷ τῶν θείων μυστηρίων μεταδιδότω, πρόντος ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου. *Nemo eorum, qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiat, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono.* Vetat, inquam, hoc solum, ne laici corpus Christi per se ipsi capiant, uti sacerdotes faciunt; sed ut ab iis, aut Diaconis accipiant. de consecratione, ac sacrificio nulla mentio.

Addit

Addit postremò Dissertatio quædam exempla moris illius, quolaicos, cùm deesset sacerdos, consecrasse, & sacrificium celebrasse putat. Sed quæ affert nihil prorsus ad rem attinent: sunt enim monimenta duntaxat adumbratæ ad veræ Eucharistiæ speciem, & imitationem, ceremoniæ cujusdam ludicræ, & ab imperitis hominibus ascitæ, non Ecclesiæ auctoritate constitutæ. Ut cùm in vitæ periculo, & in procinctu, milites, quibus communicare non licebat, panis, quo ad jentaculum utebantur particulam, ad similitudinem Dominici corporis, Religiosiùs assumebant. quemadmodum & eulogiæ, seu benedicti panis frustula ab iis, qui non communicant, in parœciis manducari solent per Dominicos dies. Sed quid hoc commune habet cum vera consecratione corporis & sanguinis Christi, & oblatione, vel sacrificio, quod in necessitate laicos obtulisse Dissertationis auctor affirmat? Tantundem, hoc est nihil hanc conjecturam adjuvat, quod ex Erasmi Epistola refert, quam ad Cutbertum

bertum Tonstallum scripsit libro Epistolarum XXVI. Ibi enim Erasmus synaxim quandam à laicis Apostolorum tempore celebrari solitam ait, adhibita precatione, & benedictione: & quem ibi panem sumebant, appellatum ab iis esse Christi corpus. Sed ibidem Erasmus hanc qualemcumque benedictionem fecernit *à consecratione sacerdotali*, quam & *veram* nominat. Quare longè ab isto commento Dissertationis Erasmus abfuit: quæ privatim, ubi necessitas ferret, veram, & sacerdotalem consecrationem laicos usurpasse confirmat.

CAP. IV.

CAPUT IV.

De altera quæſtione, quam Diſſertatio continet: An ſemper communicandum per ſymbola: ubi de communione, & uſu ſacramentorum agitur. Non licere cuiquam ab Eccleſiæ communione diſcedere. Expenduntur cauſſæ, propter quas interdum fas illud eſſe Diſſertationis Auctor exiſtimat.

CAPITE in altero Diſſertationis haud minoris offenſionis, ac periculi quæſtio diſceptatur: ſed in ea pertractanda breviores erimus, quàm pro rei magnitudine: quod utique nobis per Auctorem illius licet; qui in eo, quod probandum, definiendúmque ſumpſerat, verborum ſatis; rerum, & argumentorum adhibuit omninò nihil. Eſt autem illius capitis inſcriptio, *An ſemper communicandum per ſymbola*, cujus quæſtionis

onis hæc ſententia eſt; an ſacramentorum, quæ in vera Eccleſia ſunt, participatio uſurpari neceſſariò debeat: ita ut nemo ſalutem conſequi poſſit, qui non reipſa externis Sacramentorum ritibus initietur: an certis de cauſſis abſtinere fas ſit interdum à communione reliquorum fidelium: ut, cùm in Eccleſia Schiſmata ſunt, & diſſidia, nulli ſe parti quiſpiam addicat: ſed privatim res agat ſuas: ac ſine ullo Sacramentorum uſu permaneat.

Poſterius hoc diſſertationis aſſeverat Auctor, & Joannis Chryſoſtomi exemplo, auctoritatéque comprobat: quem refert Socrates in libro ſexto, capite tertio, cùm à Meletio Antiochiæ Epiſcopo Ordinatus eſſet Diaconus, eo Conſtantinopoli mortuo, ab Meletianis pariter, & Paulini parte ſegregaſſe ſe; quamvis utrique eſſent Catholici; ac triennio toto ab utriuſque commercio patris abſtinuiſſe. *Cujus* (ait) *exemplum ſecuti ſunt, manente poſt Synodum Calchedonenſem gravi per Ægyptum, Orientemque*

témque dissidio, multi, qui ob id nomen sibi διακρινομένων *dedere,* Latini *hæsitantes vocabant.*

Atque ut illud rectè ac prudenter agi nonnunquam, persuadeat, docere contendit, nec in veteri lege, nec in nova, symbolorum, quibus Sacramenta constant, usum præcepti necessitate constrictum fuisse. Josue 5.
Nam & omissa circumcisio est annis ferè quadraginta, quibus in deserto circumducti sunt Hebræi: & æneus serpens, quem ad populi salutem Moses erexerat, ab Ezechia rege confractus est. 4 Reg. 18. 4.
Tum in Christiana lege caussæ incidunt aliquæ, propter quas intermitti communio potest; equæ sunt præcipuæ tres. Prima, *si qui præpositi sunt Ecclesiis aut expressè, aut tacitè professiones exigunt quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentit.* Secunda, *si communio symbolica non modò usum, ad quem nata est, non habeat, fovendæ, ac testandæ communionis cum omnibus piè Christianis: verùm insuper tendat ad te-*

ſtandam patris duntaxat alicujus fœderationem, rejectionémque aliorum non minus piè, ac Chriſtianè viventium, & ad ſalutem neceſſaria, quæ non ita ſunt multa, credentium. Tertia, cum putat is, *qui à communione partium abſtinet, liberiùs ſolutiúſque exercere poſſe Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes.* quod poſtremum ſpectaſſe Chryſoſtomus videtur. His igitur de cauſſis abſtinere ab communione fas eſt, & illud Auguſtini uſurpare: *Crede, & manducaſti.* Hactenus Diſſertationis Auctor.

Equidem de propoſita ab illo quæſtione ſic ſtatuo, quod & Catholici omnes profitentur; incidere nonnunquam ea poſſe tempora, ut in publicis de fide controverſiis, ſciſſa concordia, & in partes diviſa duas, pluréſve Chriſtianorum multitudine, tandiu ſe privatus quiſpiam ab omnium communione ſuſpendere debeat; donec liquidò conſtet, penes quos Catholicæ ſit veritatis, Eccleſiæque poſſeſſio. quod ipſum neque diu, nec ubique terrarum dubium & obſcurum

obſcurum eſſe poteſt. Ut ſi quis Romanæ, & veræ particeps Eccleſiæ in ignota, & longinqua urbe peregrinetur; in qua hæreticorum plura conventicula, & oratoria ſint; nec uſpiam Catholicæ cœtus copia ſit; poteſt, debétque privatim illîc religioni ſervire ſuæ, ac ſine ulla communione manere. Interim tamen danda illi opera eſt, ut ſciat, ecquid alicubi vel conveniendi cum Catholicis, vel ſacramentorum adhibendorum facultas detur. De quo aurea eſt illa Cyrilli Hieroſolymitani ſententia Catecheſi XVIII. ἐξὰ τοῦτό σοι νῦν ἠσφαλισμένως παρέδωκεν ἡ πίστις δὲ, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· ἵνα ἐκείνων μὲν τὰ μιαρὰ συστήμα ταφεύγῃ, περιαμένῃς δὲ τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ διὰ παντὸς, ἐν ᾗ καὶ ἀνεγεννήθης. κἂν ποτε ἐπιδημῇς ἐν πόλεσι, μὴ ἁπλῶς ἐξέταζε ποῦ δὲ κυριακὸν ἐστι. καὶ γὰρ αἱ λοιπαὶ τῶν ἀσεβῶν αἱρέσεις κυριακὰ τὰ ἑαυτῶν σπήλαια καλεῖν ἐπιχειροῦσιν, μηδὲ ποῦ ἐστὶν ἁπλῶς ἡ ἐκκλησία. ἀλλὰ ποῦ ἐστὶν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. τοῦτο γὰρ ἰδικὸν ὄνομα τυγχάνει τῆς ἁγίας ταύτης, καὶ μη-

τρὸς

πρὸς ἡμῶν ἁπάντων. *Propterea à nunc tibi summa hoc cautione fides tradidit: & in unam sanctam Catholicam Ecclesiam: ut illorum quidem* (hæreticorum) *detestandos cœtus fugias, maneas autem perpetuò in Ecclesia Catholica, in qua & regeneratus es. Ac si quando peregrineris in urbibus, ne simpliciter inquirito ubi est Dominicum. Nam & cæteræ impiorum hæreses Dominica vocare spelunceas suas audent, neque ubi est simpliciter Ecclesia: sed ubi est Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium est nomen sanctæ hujus, & matris omnium nostrûm.*

Sic Hieronymus cùm in Syria degeret, & in Antiochena diœcesi; quæ tum varias in factiones divisa erat, non modò Catholicis & hæreticis, sed etiam illis inter se discordantibus, ab omnium communione se continuit. Erant autem Antiochiæ tum episcopi, præter Arianum, tres, Meletius Catholicus, sed ab Arianis primùm ordinatus; Paulinus, & ipse Catholicus, & Romanæ sedis communionem habens (fallitur enim Marianus

rianus Victorius, qui in Scholiis ad Epistolam Hieronymi 57. Hæreticum hunc fuisse scribit) & Vitalis ex Apollinarii secta. Cùm igitur ab illis solicitaretur Hieronymus, uti tres hypostases in sacrosancta Trinitate profiteretur, & ad se quisque illum conaretur allicere, nemini est obsecutus: Sed *Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore commendatam censuit consulendam: Inde animæ suæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta susceperat.* Sic enim ad Damasum Romanum Pontificem scripsit. Tum addit ista: *Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri Communione consocior. super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.* Postremò in fine Epistolæ rogat ut significet, quî cum apud Antiochiam communicare debeat. Itaque tanti viri exemplum documento esse potest, quid in simili caussa Catholicus homo facere debeat.

Idem

Idem & de Chrysostomi facto judicium est: qui post Meletii obitum, quo cum communicarat, adeò ut Diaconus ab illo etiam ordinaretur; ab ejus successore Flaviano se subtraxit; multorum in eo Pontificum auctoritatem secutus; velut Gregorii Nazianzeni; &, quod caput est, ipsius Romani Pont. qui omnes Flaviani communionem abdicarunt: quem constabat præter fas, & datæ fidei Religionem, Antiochenam ad Cathedram pervenisse. Ita enim Meletium inter, & Paulinum convenerat, ut simul alterutrum mors occupasset, ne altero superstite secundus ordinaretur antistes. Tandem opera Theophili Flavianus Romano Pontifici reconciliatus est, ut refert Socrates libro 5. cap. 15. Meminit & Ambrosius Epistola nona. Non est itaque mirandum, si Chrysostomus, qui Meletii partes hactenus fovebat, post ejus obitum, neque cum ejus successore, quòd per nefas sedem illam obtineret, communicare voluerit: neque cum Paulino, cui nunquam adhæserat.

hæſerat. Quod non eo conſilio fecit, ut Diſſertatio putat, quòd magni momenti eſſe non crederet externam, ac ſymbolicam communionem. ſed quod temerè alterutri ſe parti nollet addicere. Peſſimè autem & impiè *Hæſitantes* illi, quos Chryſoſtomi ſecutos exemplum haud rectè Diſſertationis Auctor exiſtimat: qui cùm de vera, & ſola catholica Eccleſiâ facilè conſtaret, tam ab ea, quàm ab Hæreſi Eutychianorum divulſi, novam ſectam, vel monſtrum potiùs inſtituerunt; Zenonis Henoticon amplexi. quorum ex grege fuit Anaſtaſius Imperator, homo illaudatus. quem nemo ſanus, & ſalutis amans ſuæ, ſibi in exemplum debet aſſumere. Nam quemadmodum Calchedonenſis Concilii auctoritas apud pios omnes, & catholicos nunquam in controverſiam vocata eſt; ſic damnata ab illo Eutychianorum factio pro execranda hæreſi omnium eſt habita judicio; adeóque portio hujus quæ fuit, ἡ τῶν διαχεχυμένων ſecta; quæ alias omnes à quibus diſſidebat, impietate ſuperabat.

Non potest igitur facilè dubitari, qua sit in parte vera, & catholica Ecclesia; & ab omni se omnium Communione jure aliquis posse putet abstrahere. Est enim sole ipso clarior, & manifestior, atque in propatulo posita: neminem ut latere diu posita: neminem ut latere diu possit, si quis ad eam suis notis agnoscendam, ac discernendam paullulum operæ, & candoris adhibeat. Quod adversus Donatistas omnibus ferè paginis, quas contra illos elucubravit, occinit Augustinus. Insignis est inter alia locus ille ex Epistola XLVIII. *Quomodo autem* (inquit) *confidimus ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas, vel uncos adversus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut anathema erit, qui annuntiaverit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniam in veritate Evangelica accepimus. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: sic erit anathema quisquis*

quisquis annuntiaverit Ecclesiam præter communionem omnium gentium: ac cætera deinceps; in quibus eam esse veram, cognitúque haud difficilem Ecclesiam docet, quæ per totum orbem diffusa est, quæque (ut ait Boëtius in libro de Trinitate) *quod ejus cultus per omnes pænè mundi terminos emanavit, catholica, vel universalis vocatur.* Quo *catholicæ* vocabulo ab cæteris conventiculis, quæ falsò sibi Ecclesiæ nomen assumunt, vera Christi Ecclesia distinguitur; ut Pacianus Epistola 1. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi jam citata xviii. Boetius, & Augustinus, libro de vera Religione, capite vi, & vii. & libro contra Epist. fundam. cap. iv. aliique complures asserunt. Quemadmodum & *Romanæ* vox eandem discernit ab reliquis: ut tantumdem sit dicere *Romanum*, quod Catholicum. Itaque Gregorius Turonensis testis est in libro de gloria Martyrum, capite xxx. xxxv. & lxxix. *Romanos* ab hæreticis appellari consueviſse *homines nostræ*, ut ille loquitur, hoc est

licæ *Religionis*, quoniam Cathedra illic est Petri, *Ecclesiæ Catholicæ matrix, & radix*, ut Cyprianus ait Epistola XLV. Cyrillus verò Alexandrinus *Pontificatus arcem* vocat, ut testatur Arnobius in disputatione contra Serapionem. Nec omittere possum pulcherrimum de eâdem elogium Gregorii Nazianzeni, quo & fidei, quæ in ea tempore suo prædicabatur, integritatem; & ejusdem principatum illustri præconio commendat; cùm è contrario altera & nova Roma, cui quondam præfuerat, ab Catholica defecisset fide. Sic igitur ille cecinit in Carmine de vita sua.

Τούτων δὲ πίστις ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἐστὶν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν προέδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡ δ' ἦν δὲ πρόσθεν ὀρθόποις, νῦν δ' οὐκέτι.
Ταύτην λέγω δὴ τὴν ἐμὴν, εἶτ' οὐκ ἐμήν.

Harum verò fides, ista quidem jampridem,

Et

Et nunc adhuc prospero cursu progreditur, Occidentem
Totum adstringens salutari doctrina:
Uti par est eam facere, quæ universis præsidet;
Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat anteà. nunc verò non item.
Hanc dico, quæ mea quondam erat: nunc non est mea.

Sed & Augustinus Epistola cv. affirmat eandem ætate sua fidem Romana in Ecclesia perseverasse, cui Paulus testimonium præbet. Meritò igitur Optatus Melevitanus adversus Donatistas veram sibi vendicantes Ecclesiam in secundo libro disputans, cùm alias notas verioris affert Ecclesiæ, quæ in nullam aliam hodiè, nisi Romanam competunt: tum eam, quæ ex Petri Cathedra, & Romanorum successione Pontificum ducitur. quod & Irenæus tanto antè fecit in tertio libro, capite tertio. Sed hæc obiter; quæ eò spectant, ut hoc ostenderem, quod paullo antè posui, perfacile esse

suis

licæ *Religionis*, quoniam Cathedra illic est Petri, *Ecclesiæ Catholicæ matrix, & radix*, ut Cyprianus ait Epistola XLV. Cyrillus verò Alexandrinus *Pontificatus arcem* vocat, ut testatur Arnobius in disputatione contra Serapionem. Nec omittere possum pulcherrimum de eâdem elogium Gregorii Nazianzeni, quo & fidei, quæ in ea tempore suo prædicabatur, integritatem; & ejusdem principatum illustri præconio commendat; cùm è contrario altera & nova Roma, cui quondam præfuerat, ab Catholica defecisset fide. Sic igitur ille cecinit in Carmine de vita sua.

Τούτων δὲ πίστις ἡ μὲν ἦν ἐκ πλείονος,
Καὶ νῦν ἔτ' ἐστὶν εὔδρομος, τὴν ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν προέδρον τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ συμφωνίαν.
Ἡδ' ἦν δὲ πρόσθεν ὀρθόποις, νῦν δ' οὐκέτι.
Ταύτην λέγω δὴ τὴν ἐμὴν, εἶτ' οὐκ ἐμήν.

Harum verò fides, ista quidem jampridem,

Et

Et nunc adhuc prospero cursu progreditur, Occidentem
Totum adstringens salutari doctrina:
Uti par est eam facere, quæ universis
præsidet;
Totam colentem Dei concordiam.
At illa recto quidem pede incedebat
anteà. nunc verò non item.
Hanc dico, quæ mea quondam erat:
nunc non est mea.

Sed & Augustinus Epistola cv. affirmat eandem ætate sua fidem Romana in Ecclesia perseverasse, cui Paulus testimonium præbet. Meritò igitur Optatus Melevitanus adversus Donatistas veram sibi vendicantes Ecclesiam in secundo libro disputans, cùm alias notas verioris affert Ecclesiæ, quæ in nullam aliam hodiè, nisi Romanam competunt: tum eam, quæ ex Petri Cathedra, & Romanorum successione Pontificum ducitur. quod & Irenæus tanto antè fecit in tertio libro, capite tertio. Sed hæc obiter; quæ eò spectant, ut hoc ostenderem, quod paullo antè posui, perfacile esse

suis

ſuis notis veram Eccleſiam dignoſcere: nec eam latere poſſe, quæ ut ex Cypriano, libro de ſimplicitate Prælatorum, refert Auguſtinus lib. II. contra Gaudentium, cap. II. *Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit.*

Jam ſi & ubique diffuſa, & palam omnibus cognita vera & Catholica eſt Eccleſia; (quod toties prædicat Auguſtinus in libris contra Donatiſtas) nunquam deeſt fidelibus, quî cum Sacramentorum, acrituum Communione jungantur. neque porrò cauſſam ullam poteſt habere quiſquam, propter quam ab illa ſeſe, quam ſolam eſſe veram, & Catholicam ignorare non poteſt, Societate diſtrahat. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm ſibi viam ſalutis omnem intercludere. Si quidem extra Eccleſiam, & Eccleſiæ communionem ſalus eſt nulla. *Quiſquis* enim (ait Auguſtinus Epiſtola CLIII,) *ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate diſiunctus eſt, non habebit vitam;*

vitam; *ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et Gregorius Papa lib. XIV. Moral. cap. II. *Sancta* (inquit) *univerſalis Eccleſiæ prædicat, ſalvari veraciter niſi intra ſe non poſſe, aſſerens, quòd omnes, qui extra ipſam ſunt, minimè ſalvabuntur.* Quocirca *nihil ſic debet formidare Chriſtianus*; (ut verbis utar Auguſtini Tractatu XXVII. in Joannem) *quam ſeparari à Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum ejus. Si non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus.*

Fruſtra ergo Diſſertationis Auctor *juſtiſſimas* quaſdam *cauſſas intermittendæ Communionis* eſſe dicit; maximè tertiam, ut *à partium communione abſtinens liberiùs, ſolutiúſque exercere poſſit Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes.* Nam cùm de vera & Catholica Eccleſia ſermo eſt (de qua ſola hîc à nobis agitur) ejus ſic amplectenda, ac retinenda communio eſt, ut ab reliquis omnibus, quæ illi adverſantur, penitus abhorreamus; neque commune cum iſtis habeamus quippiam. Quocirca

ca neque Sacramentorum, ac symbolorum omittenda participatio est; quoniam obtineri aliter communio non potest. Quippe, ut Augustinus scribit libro XIX. contra Faustum, cap. XI. *In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm: & ideò contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Potest quidem interdum fieri, ut ab usu sacramentorum, & communione Ecclesiæ homo Catholicus abstineat: velut persecutionis tempore, si in cryptis ac latebris delitescat; aut alioqui sine periculo capitis ad Ecclesiam adire nequeat. Sed quas causas Dissertationis affert Auctor, eæ sunt nullæ. Quod enim ad primam pertinet, quam ejusmodi fingit; *Si qui præpositi sunt Ecclesiis, professiones exigant quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non assentitur:* si hæc legitima est, Hæretici

tici omnes extra culpam erunt: qui se ideò ab Ecclesiæ unitate sciderunt, quod *earum assertionum professionem exigerentur*, quibus ipsorum conscientia refragabatur. Sic Ariani; sic Nestoriani; sic Eutychiani; & nostro tempore Lutherani, Calvinianique omnes justissimè fecisse putandi sunt, qui solam (ut vocant) *conscientiæ libertatem*, discessioni suæ, ac schismati prætendunt. De assertionum itaque genere isto clariùs, ac liquidiùs Dissertatio loqueretur. Nam si falsæ sunt, & Scripturis Conciliorúmque contrariæ decretis; non possunt ab Ecclesia probari, nec earum extorqueri professio: si quidem vera est Ecclsia illa, & Catholica, *quæ fundata supra petram, columna est, & firmamentum veritatis.* Quanto ergo justiùs conscientia ipsa corrigeretur; ut assertionibus istis ab Ecclesia sibi propositis assentiri auderet; *etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostenderet.*

Matth. 16. 18. 1 Tim. 3. 15.

Quod Augustinus libro contra Epistolam fundamenti, capite iv. præcipit. Nam de horum, quæ sibi proponerentur, æquitate, ac veritate, etsi nondum intelligeret, meritò dubitare non posset, si, quod gravis auctor scribit Epiphanius in Alogorum hæresi, quæ est LI. recordari veller, Catholicam Ecclesiam ἔχειν τῆς ἀσφάλτου πλὴν δυνάμιν, πλὴν ἀποδιώκουσθαι τὰ δηνὰ, καὶ ὀλεθρία ἑρπετώδη διδάγματα. *habere vim bitumini similem, quæ mala & pernicioſa, ſerpentináque dogmata, doctrinásque propulſat.* Sed enim præclarè S. Hilarius in octavo libro, *Multi ſunt* (inquit) *qui ſimulantes fidem, non ſunt ſubditi fidei; ſibique fidem ipſi potiùs conſtituunt, dum quæ volunt, ſapiunt, & nolunt ſapere quæ vera ſunt; cùm ſapientiæ hæc veritas ſit, ea interdum ſapere quæ nolis.*

Sic altera illa cauſſa *communionis intermittendæ*, ſubdolè, parúmque ſincerè concipitur ita: cùm ſymbolica communio *tendit ad teſtandam partis duntaxat alicujus fœderationem, rejectionémque aliorum non minus piè,*

ac

ac Christianè viventium, & ad salutem necessaria credentium. Etenim vera Ecclesia; quæ, ut dixi, sola hîc agitur, & à Dissertationis auctore debet intelligi; uti Catholica est, id est universalis; sic universos amplectitur, ac neminem respuit, qui piè Christianéque vivat: hoc est fidelis qui fit, & fidem integram præstet, quæ fundamentum est pietatis. Nam quod satis esse putat homini Christiano quæ sunt ad salutem necessaria credere, captiosè, & ambiguè loquitur. Si enim id eatenus interpretatur, ut ea scire, & explicatè, ac distinctè nosse sufficiat, quæ ad salutem sunt necessaria; verè illud dicitur, si quidem de idiota, & imperito homine sermo sit. (Nam plerisque ipsa gradus, ordinisque conditio notitiæ cujusdam exquisitioris affert necessitatem.) Sin illud intelligit sic, ut in iis tantummodò, quæ ad salutem sunt necessaria, Ecclesiæ auctoritatem sequi oporteat; in cæteris etiam contra illam sentire, eique adversari liceat; vehementer errat. Perinde enim

est ac si quis dicat, in iis, quæ ad salutem pertinent, scripturæ adhibendam esse fidem; in aliis dissentire fas esse. Velut in præteritarum rerum narrationibus, & historiis: quæ nostra nihil interest, hoc modo, an secus evenerint. Quod falsum & impium esse dictu, Christianus nemo dubitat. Quamobrem multa, quæ in scriptura, vel in Ecclesiasticis dogmatibus continentur, ignorare salva pietate & Catholica communione possumus. Quippè, ut rectè Prosper adversus ingratos capite xxxv. cecinit.

Multa etenim bene tecta latent, nescitáque prosunt,
Dum mansueta fides quædam dilata modestiè
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Verùm contradicere, ac pro falsis habere quæ utrobique traduntur, sine grandi scelere, ac fidei, salutisque jactura non possumus. *Cùm enim principium*

principium verborum Dei veritas sit (ait Ambrosius in Psal. cxviii. Octon. xxi) *veritas utique fidei firmamentum est. Primum etenim oportet ut credamus vera esse Dei summi, quæ in Divinis scripturis legimus oracula.* Nec minus vera sunt, & ab iis credenda, qui doceri ab Ecclesia norunt, quæcumque illa prædicat: cujus auctoritate ut Evangelio, scripturisque adeò crederet omnibus, commoveri se fatetur Augustinus in libro contra Epistolam fundamenti capite v.

Tertia denique causa, cur ab communione partium, si quando dissidia nata sunt, abstinere aliquis possit; uti dissidentibus charitatis officia præstet: absurda est, si partium illarum una sit vera & Catholica Ecclesia, cujusmodi ab Auctore Dissertationis intelligi par est; nisi frustra conflictari tota illa Disputatione velit. Quis enim, nisi demens, aut atheus, studio commodandi alienatis ab Ecclesia Catholica vel hæreticis vel schismaticis, licere sibi putet ab illius communione

ne recedere; & quo nihil formidandum magis esse dicit Augustinus Tractatu in Joannem xxvii. id sibi sponte, voluntatéque arcessere, ut se ab Christi corpore sejungat? Quis aut Petro Apostolo sapientior: aut majoris spe utilitatis induci potest, quàm præ se ferebat ille dum tantisper non ab Ecclesiæ Catholicæ, sed ejus partis cujuspiam communione, hoc est ab gentibus Christianis *subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circuncisione erant?* At is ob eam simulationem meritò est à Paulo reprehensus; qui se illi *in faciem restitisse* ait ad Galatas scribens, c. II. *quia reprehensibilis erat.* Si reprehensione dignus est, qui ab alicujus partis Ecclesiæ communione abstinet, ut alteri ejusdem Ecclesiæ parti consulat; credo reprehensionem is effugiet, qui ut adversariis Ecclesiæ commodet, ab totius se hujus communione divellit. Non erit opinor; neque sub illa specie quisquam ab communione sacramentorum, ac symbolorum abstinens, sola

Gal. 2. 12.

sola interiori, & occulta fide potest Catholicus esse contentus. Quoniam & *qui mecum non est* (ait Christus) *contra me est*; & ut Apostolus dicit, *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, & *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Quibus locis, aliisque sexcentis externæ fidei professionis necessitas imponitur: quæ in usu sacramentorum majori ex parte; in externa autem cum Ecclesia Catholica communione tota consistit.

Luc. 11. 23. Rom. 10. 10. Matth. 10. 33.

C P. V.

CAPUT V.

De duplici Scripturæ loco; altero Joannis sexto, in quo usus Eucharistiæ præcipitur: altero Joannis tertio; ex quo Baptismi necessitas adstruitur. Uterque falsò ab Dissertationis auctore acceptus. Sine Baptismo parvulos in æternum perire.

DUo sunt ex tota Dissertatione, Scripturæ loca reliqua, quibus quoniam externa illa, quam dixi, professio communióque Sacramentorum, tanquam necessaria, præscribitur, ideò Dissertationis hæc auctor ab vero, & germano sensu detorquere conatus est.

Primus est Joannis VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quibus verbis præceptum dedit fidelibus vescendi corpore

corpore ſuo, ac bibendi ſanguinis ſui. Ita veteres omnes hunc locum interpretati ſunt, & Catholici recentiores, pauciſſimis exceptis. Porrò Lutherus; deinde Calvinus ex hæreticorum grege ab communi, & antiqua, & veriſſima illa ſententia deflexêre: ut de fide, ac ſpirituali alimonia potiùs intelligerent, quam tum conſequimur, cùm in Chriſtum, ejúſque paſſionem, ac reſurrectionem credimus.* Plerique tamen ex amborum diſcipulis quâ ſcientes; quâ imprudentes in communem incidunt: dum ex hoc eodem loco Catholicos urgere ſe putant ad uſum calicis promiſcuè omnibus permittendum. Neque enim locus alius eſt, ex quo illius neceſſitas tam perſpicuè ſuaderi poſſit.

Non ero longior in hac re diſputanda, quæ alterius & otii eſt, & inſtituti. Complures eam tractavere cùm interpretes; tum propriis ſcriptis Theologi, intérque cæteros Maldonatus eruditè in hoc argumento verſatus eſt in Commentariis ad illum locum. Nec diſſentit Auguſtinus; quod Diſ-

sertatio putat. Sed in hujus, aliorúmque Patrum explicandis locis immorari piget. quod illi, in quos digitum intendi, plenis commentariis occuparunt.

Nam quod Dissertationis objicit scriptor, ex illo loco antiquos perperam colligere solitos usum Eucharistiæ etiam infantibus esse necessarium, primùm in eo ipso pugnantia loquitur. Non enim ita concluderent veteres; nisi de *symbolorum Eucharisticorum*, ut ipse vocat, usu, ac *reali* manducatione Christi verba illa caperent. Atqui Augustinum auctorem allegat idem contrariæ interpretationis, quæ de sola fide istîc agi censet, cùm tamen ejus opinionis, quæ parvulis necessariam esse Eucharistiam constituit, acerrimus contra Pelagianos patronus ille fuerit, ut in libro 1. de Peccat. mer. & remiss. cap. xx. & Epistola CVII. & aliis in locis. Deinde vel iste ipse conflictus antiquorum arguit, quàm non cujusvis sit scripturarum interpretari sensum, ac fidei illius

illius ex verbis dogma concludere; ac si ῥητὸν præcis è ſpectemus, neque in ejus pronuntianda ſententia ex Eccleſiæ auctoritate pendeamus, quàm proclivis in errorum præcipitia ſit lapſus. Uno verbo; neque nos illis Chriſti verbis præceptum putamus editum fuiſſe, dandæ parvulis Euchariſtiæ; non magis, quàm amentibus, ac furioſis. & tamen de *reali* ſacramenti (ut vocant) uſu illa eadem interpretamur. qui uſus ex Eccleſiæ more, ac judicio, non pro cujuſque arbitrio, ac libidine moderandus eſt. Neque enim ſi nihil expreſsè Chriſtus de tempore participandæ Euchariſtiæ, ac modo præcepit, ideò cuilibet fas eſt ſibi, quam velit, illius uſurpandæ regulam præſcribere. Immò verò communis omnium matris Eccleſiæ pro lege amplectenda eſt auctoritas; vti cenſet Auguſtinus in Epiſtola LXXXVI. *In his* (inquit) *rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina ſcriptura; mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt:* ac tantum abeſt ab eo,

ut Ecclesiasticas sanctiones, ac scita majorum inter ἀσχάφορα referri sinat; quæ cuivis observare, aut omittere pro libito fas sit, ut *sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendos esse sentiat.* Cui & Basilius adstipulatur in Epistola ad Amphilochium, Et in libro de Spiritu S. capite xxvii. ubi pleraque dogmata Ecclesiæ, sine scripto, traditione sola constare dicit: maximè illa, quæ ad usum sacramentorum attinent; quæ majores nostri minus literis commendarunt, καλῶς δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι, ἃ γὰρ οὐδὲ ἐπιπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμύητοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασι; *Rectè*, inquit, *edocti, Religiosa Sacramentorum arcana silentio conservari. Nam quæ ne aspicere quidem nondum initiatis licet; quî tandem consentaneum erat eorum disciplinam literis publicè traducere?* Egregius omninò locus, & ad Dissertationis confutandam rationem aptissimus: quæ pro eo quod de usu sym-

ſymbolorum Euchariſticorum nihil expreſſè Chriſtus edixerit, aut in Scripturis proditum extet; Chriſtianos ad ſimplicem illam rudémque Diſciplinæ formam revocat; & pro cujuſque arbitrio ab communione totius Eccleſiæ, communioníſque teſſera, hoc eſt participatione Sacramentorum abſtinere permittit. Quid enim aliud facit, cùm juſtiſſimam eſſe cauſſam hanc intermittendæ communionis cum Eccleſia Catholica demonſtrat, *ut liberius exercere poſſint Chriſtianæ dilectionis officia adverſus diſſidentes?* Utique enim nunquam *juſtiſſima* illa cauſſa deerit: quia perpetuò qui ab Eccleſia diſſideant futuri ſunt, hæretici ac ſchiſmatici: quorum ſalus & conciliatio tanti eſſe debeat, auctore Diſſertatione; ut communionis cum Eccleſia, ac ſalutis adeò propriæ jactura recuperanda ſit. Sic non optare ſolùm cum Apoſtolo Paulo, ſi fieri poſſet, ἀνάθεμα, εἰ ὀφείλετε, ut Photius, aliique Græci Interpretes exponunt; ſed reipſa ſe anathema facere, & ab Chriſto, ejúſque corpore

corpore sejungi, non *pro fratribus*; sed pro extraneis, & hostibus *justissimum* esse Dissertationi videtur: pro iis, inquam, quos idem Apostolus αὐτοκατακρίτους *proprio judicio condemnatos* appellat in ea, quæ est ad Titum, capite III. 11. quósque *post unam & secundam correptionem devitandos* admonet. Quanto tutius est in illa ipsa manere; si in ea est adhuc, Ecclesia: si non est; ad eam adjungere sese; ab illius communione ne punctum quidem temporis recedere; illam denique magistram, & scripturarum, & Traditionum custodem, & interpretem auscultare; cui condendarum legum, &, ut iis obtemperent, cogendorum fidelium potestas divinitus est facta? Nisi fortè illud nobis excidit, quod Apostolus ad Romanos scribit capite xiii. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei Ordinationi resistit. qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate*

neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Neque enim adeò quenquam inſanire puto, ut quod Apoſtolus de obſervandis gentilium principum legibus, & Edictis, velut Neronum, ac cæterorum Chriſtiani populi carnificum, ſanxit: quibus non metu ſolùm, ſed etiam *propter conſcientiam* parendum eſſe decernit; idipſum non ad ſpirituales, Eccleſiaſticáſque poteſtates multo magis accommodandum cenſeat: quæ & poteſtates ſunt, & ex eodem divinæ auctoritatis fonte manarunt. Nam, *Quis vos audit, me audit* (ait Chriſtus Lucæ x. 16.) *& qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et, *Si autem Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Math. xviii. 17.

Habet autem vim legis præſcriptique fidei, non expreſſa tantùm imperantis Eccleſiæ auctoritas; ſed uſu, ac voluntate illius corroborata conſuetudo, ac traditio: ut iidem paullo à me antè citati Patres aſſerunt, Baſilius, & Auguſtinus; tum Euſebius

bius Cæsariensis lib. 1. de Demonstratione pag. 20. Gregorius Nyssenus libro III. cap. iv. Porrò in eo, de quo modo agitur, usu sacramentorum, & communione; nec non in Christi verborum apud Joannem interpretatione; utrumque convenit; & traditio consuetudóque; & viva Ecclesiæ vox, Conciliorúmque decreta, *quorum est in Ecclesia salùberrima auctoritas* (ait Augustinus Epistola cxviii.) quibus quidem *qui resistit, Dei ordinationi resistit.* tantum abest, ut injussu Ecclesiæ; immò renitente, ac vetante illa, κατ' εἰκονομίαν, & συγκαπήβασιν, aut cujuscumque spe lucri, atque commodi; ejusmodi aliquid usurpare liceat. Quid enim absurdius est, quàm istud ipsum, quod pœnæ loco adversus delinquentes Ecclesiæ, Conciliorúmque decreta constituunt; ut aliquanto tempore à communione fidelium, & participatione sacramentorum abstineant; sibi hoc quemque sponte sua, ac citra ullum crimen imponere? Sed de hac re plus satis.

Supereſt

Supereſt locus alter ex Joannis capite III. 5. ex quo baptiſmi neceſſitas oſtenditur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu; non poteſt introire in regnum Dei.* Quem locum de Baptiſmi ſacramento Catholici omnes accipiunt; ut & veteres omnes; præſertim qui adverſus Pelagianos ſcripſerunt: qui, quod iſti negabant, cum Originali peccato naſci parvulos: &, niſi gratia mediatoris per Baptiſmi Sacramentum reipſa ſuſceptum ſuccurreret, ituros in æternam damnationem iiſdem ex illis verbis docuerunt. Quod in omnibus libris accuratiſſimè teſtatur Auguſtinus, quibus illam oppugnavit hæreſim. Idem & Proſper, & Fulgenitus alique tradunt: quos commemorare longius fit; &, quod caput eſt, plenaria Concilia, ac tota deinceps Eccleſia conſtantiſſimè hactenus tenuit. At Diſſertatio *errorem* hunc vocat, putare vel in illo Joannis loco agi de Baptiſmi Sacramento, quod in aqua confertur: vel parvulos ſine eo

æternis pœnis obnoxios esse. Quasi Christianus ullus ab Augustini præsertim seculo, ac post auditum Pelagianæ nomen hæresis, aliter senserit, aut scripserit; aut de eo vel levissimam dubitationem habuerit.

Quinetiam longè ante Augustinum, ac Pelagiana tempora, idem tradidit Cyprianus; quem contra Pelagianos testem citat Augustinus libro tertio de Peccat. merit. & remiss. cap. 5. Sic enim ille in Epistola ad Fidum, quæ est LIX. interrogatus utrum Baptismus parvulis ante octavum diem dandus esset; minimè differri oportere respondet; ne illorum anima pereat. *Nam cùm Dominus in Evangelio suo dicat; Filius hominis non venit animas hominum perdere; sed salvare: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.* Perituræ igitur infantium animæ sunt; nisi baptismi illis unda succurrerit. Unde verò pernicies animis hæc incidat, posteà declarat, & originalis peccati labem detegit his verbis: *Porrò autem*

autem si etiam gravissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cùm postea crediderint; remissa peccatorum datur, & à Baptismo, atque à gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Idem & in plenario totius Africæ Concilio Sancitum est Canone 2. ex iis, qui Milevitanæ secundæ Synodo perperam inscribuntur, cùm sint Carthaginenſis, ut ex Cœlestini Papæ Epistola ad Episcopos Galliæ constat. Et ante hoc Concilium, duo alia provincialia istud ipsum decreverant; Carthaginense, cujus extat synodica, quæ in Augustini Epistolis est XCI. ubi inter cætera Patres, *Parvulos etiam* (inquiunt) *propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, Baptizandos negant: ac sic eos mortifera ista Doctrina in æternum necant; promittentes etiamsi non Baptizentur, habituros vitam æternam.* Et Milevitanum:

cujus item synodica, quæ apud Augustinum est xcii. sic habet: *Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt.* Nec illustre cum primis ejusdem Augustini testimonium ex infinitis, ut constat, omiserim. qui in Sermone xxxiii. de Diversis, miraculum insigne refert infantis nondum Baptizati, sed adhuc Catechumeni, Sancti Stephani meritis ad vitam excitati: itáque scribit: *Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium Catechumenum infantem lactentem. Quæ cùm vidisset amissum, & irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter, quàm mater. Non enim filii sui desiderabat vitam, nisi in futuro seculo; & hanc sibi ablatam, & periisse plangebat,* &c. Vides ut infantem nulla sua culpa irretitum, atque etiam parentum fide, ac pietate, si quid ea, sine Baptismo posset, adjuvandum utique, hoc est Catechumenum; quia Baptismo carebat

rebat, *amissum, & irreparabiliter perditum* affirmat Augustinus. Unde autem hæc Baptismi necessitas ad parvulorum salutem, nisi ex illo Joannis loco, de quo agimus, ab illis colligitur? Declarat id Augustinus idem cùm aliis in locis, tum in Epistola cv. sub finem: *Sicut ergo audiunt Dominum dicentem: Qui non renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; propter quod eos Baptizandos esse concedunt*, &c. Tum lib. 1. de Peccat. mer. & remiss. cap. xx. Eadem est & cæterorum Patrum, consentiénsque doctrina. Itaque Molinæi Ministri notanda hoc loco est inscitia, qui in Clypeo Fidei, Parte 2. Sect. xix. pro magno absurdo Catholicis Romanis hoc objicit; quod ita doceant, absque Baptismi remedio, in æternum perituros esse parvulos. Quod profectò nunquam exprobraret; neque in tam trita, & usitata re peregrinaretur, si quid Augustinus; quid Ecclesiastica antiquitas, & historia; quid Theologia

gia denique fit, vel minima ex parte cognoscerét. Sed de hac re plenius aliâs: quam hîc obiter, &, ut Dissertationis Auctori satisfieret, paucis perstringendam habuimus.

Selectarum

263

Joan. Clopenburgii

DISPUTATIO

SELECTA,

Joan. Clopenburgii

DISPUTATIO

SPECIA.

Selectarum Disputationum Theologorum IV.

DE

Sacramentorum Christianæ Religionis Institutione, antiqua, an nova.

Cum Censura in Dissertationem Anonymi de Cœna, An semper Communicandum per Symbola.

13 Augusti 1640.

I. DIsquisitio hæc connexa est disquisitioni de vera Antiquitate Religionis Christianæ; ut liqueat, an Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ Institutione demonstrati possit in Fundamento Religionis facta Novatio, quæ adsertam à nobis Antiquitatem destruat: quod pernegamus, quia statuimus Novationem tantum factam in visibilibus signis Sacramentalibus, manente eadem re signata, quæ olim antiquis, nunc

nunc novis Sacramentis significatur, & credentibus obsignatur: sola interveniente differentia Evangelii, olim exhibendi, nunc exhibiti Christi.

II. Contra novatores, qui *Rem* signatam *novant in Regione* Christianina, *ut nemo somniet nova dogmata*, putavit vir doctissimus *Brougthonus*, sed sæpe hyperbolicus, *commentario in Danielem pag.* 46. ne signa quidem visibilia in Baptismo & Cœna Dominica Novè à Christo mandata, *De Baptismo* inquit *Celebrato Judæis inde â temporibus Davidis & Salomonis ex collectione ad Legem, non aperto mandato* (*Exo.* 19. *Maimon. tom.* 2. *fol.* 136.) *sigillum instituit intrandi in requietem Messiæ & abjiciendi reliquas ceremonias. Judæorum infirmitatem, ex inventis super lumine naturæ fundatis, ad magnos usus reducit. Ex pane & vinæ sanguine partibus Cœnæ Agni, haudquaquam ex mandato, sed ex communi prudentia, quam Deus animis insculpsit sancit sigillum sui ipsius veri corporis & sanguinis, &c.*

III. Laudat

III 3 Laudat Broughtonum Anonymus Novator qui nuper edita *Dissertatione de Cœna*, Problemate illo: *An semper Communicandum per Symbola*, hoc fatagit præter & contra Broughtoni mentem, ut neget in ritibus illis sanctionem & institutionem sigilli absolute divinam esse, aut *habere*, ut ille loquitur amat, *definitum imperium*, hoc est præceptum semper obligans ad communicandum per Symbola. Quia scilicet *verissimum est quod cum doctissimus Hugo Broughtonus ad Danielem notavit, Nullos à Christo institutos ritus novos.*

IV. De Novorum *Rituum institutione* quid repugnamus, nullos Christum nove imperasse, qui inauditi vel inusitati essent Judæis, adeoque offendiculo esse possent; atque hic communi prudentiæ quam mandato Christum uti maluisse in utriusque Sacramenti institutione? Sed absque novorum externorum rituum institutione, nolle agnoscere, Novam in ritibus antiquis, novi *Sacramenti & sigilli divinam institutionem*, & cum institu-

tione conjunctum mandatum & præceptum de Sacramenti & sigilli usu: vel indoctum vel impium est.

V. Operæ precium erit sigillatim de utroque Sacramento disquirere ad Dissertationem: ex hujus disputationis scopo: *Baptismi, inquit, in mente erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatria, ad Judaismum accederet: Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Judæos manet. Johannes Baptista ut ostenderet Judæos, quamquam unius Dei cultum profitentes, moribus ea ætate non minus fuisse corruptis & à Lege Dei dissentaneis quam iverant qui falsos Deos colebant, ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par transiato vetere Baptizandi ritu, id ipsum significavit.* Esto hoc verissimum: at falsissima est notatio marginalis ista: *Baptismus Johannis non primo neque absolute divinæ institutionis est; sed ex hypothesi, & conditione maris apud Judæos recepti, quatenus iste ad id quod prædicabat Johannes rite transferri, ac usurpari se sinebat.*

VI. Pergit

VI. Pergit Dissertator: *Servavit*, inquit. *morem in utroque genere hominum Christus, addita professione sui quoque nominis & promisso Spiritus S.* Servavit ergo Christus. si dissertatorem audimus, morem Judaicum à Johanne servatum, & non dedit illum Apostolis in mandatis, absolute definito imperio, sed ex hypothesi & conditione moris apud Judæos recepti: ut ubi Judæorum & moris Judaici non esset habenda ratio, non esset imperatus Baptismus aquæ: Quæ est ipsissima *Socini* & Sociniano rum sententia, qui verbis Pauli 1. Cor. 1. 17. male arreptis, quæ non absolute sed comparate accipienda sunt, negant Christi mandato prædicationi Evangelii ad finem mundi duraturæ, Baptismi administrationem annexam esse. *Socinus disput. de Baptismo.*

VII. Quod asserit Dissertator *Baptismum Johannis non primo neque absolute divinæ institutionis fuisse*, contradicit Johanni dicenti Deum misisse ipsum ad Baptizandum aqua Joh. 1. 33. & Christo asserenti Baptismum

Johannis è Cœlo esse, Marc. 11. v. 25. Et refellitur ex hypothesi de imperata Johannis prædicatione, verbis Marci istis Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat Baptismum. Marc. 1. 4.

VIII. Quod dicit Christum *addidisse* morisJudaici Baptismo servato *Professionem sui quoque nominis & promissum Spiritus* S. verum est, non ex mente Dissertatoris, de illa tantum Baptismi dedicatione nova quæ facta est die ascensionis Christi, sed de prima institutione Baptismi Johannis & discipulorum Christi: Promittebat enim ab initio Johannes vere resipiscentibus a se. Baptizatis aqua, in nomine Christi, Baptismum Spiritus S. Mat. 3. 11. Marc. 1. 8.

IX. Vera differentia inter divinam primam Baptismi institutionem, & illam Baptismi dedicationem Christi Jussione sacram die ascensionis, hæc est; quod prima institutione & mandato divino, Baptismus non antiquarit Veterem Circumcisionis Sacramentum, nec præputiatis facile administrandus, quip-

pe qui vocandi non erant ad Ecclesiam, neque Ecclesiæ inserendi novo Sacramento, tantisper, donec ad antiquationem circumcisionis intercessisset mors Christi. Altera autem Baptismi dedicatione illa, quæ facta est Christi mandato die Ascensionis, dedicatum est Baptismi Sacramentum illi Initiationi in Ecclesiam cui servierat Circumcisionis Sacramentum: ut cum Judæis circumcisis communi initiationis Symbolo cooptarentur etiam præputiati, nomen Christi professi.

X. Suo se indicio prodit Dissertator, quod, pretextu Antiquitatis, propter quam nova Baptismi Institutio nulla sit. Velit Baptismum cum Judaïcis ritibus antiquatum, hactenus saltem ut non sit magis necessariæ observationis quam antiquus *ritus Impositionis manuum*, recensens varium ritus illius usum, in *orando pro ægratis, confirmando baptizatos, ordinando pastores, absolvendo criminum fontes, Matrimonio benedicendo*: quorum nullus habet sigilli sanctionem aut institutionem,

quapropter libere in sola Pastorum ordinatione illum retinent Ecclesiæ reformatæ, *ad significandam* non ad obsignandam *spem divinæ efficaciæ quæ* Pastoribus *optatur.*

XI. De Cœnæ Dominicæ instituone sic disserit dissertator: *Mos erat Hebræorum qui & nunc manet Festis diebus quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos vicinos aut amicos supra decem, infra viginti, &c. Cœnæ sine panis melior ac frangi facilis adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis. adferebatur & calix qui & ipse à convivatore libatus ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentia, quod creasset panem ex terra ac fructum vitis* פריהגפן γέννημα ἀμπέλου, *Accedebat historiæ ad diem respondentis grata commemoratio* ὕμνος εὐλογίας *sive* εὐχαριστίας *quæ duo idem valent. In paschate pro exitu ex Ægypto. In Pentecoste pro data lege. In* σκηνοπηγίαις *pro ductu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ commemorationem.* Quorsum hæc; *Observanda Institutionis Cœnæ occasio*

ex

ex more ſumpta Hebræorum, cujus mo-
dus deſcriptus eſt apud Scaligerum lib. 6.
de Emendatione temporum. & apud
Paulum Fagium ad Chaldaicam Para-
phraſin Deut. cap. 8. Vide Scalig. pag.
571, 572, 573, 574. edit. anni 1629.

XII. Admittimus hæc quæ ex ipſo Fagio & Scaligero olim dedicimus, admittimus quoque lubentes notationem *Picherelli diſſertatione erudita de Miſſa* pag. 136, 137. ut *quemadmodum Paulus verba Chriſti explicans addit τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, hoc facite quotieſcunque feceritis in mei recordationem: pari modo in altera membro ſuppleatur ὁσάκις ἂν φάγητε Quotieſcunque comederitis.* Sed negamus aut Chriſto aut Paulo aut Picherello ipſi in mentem veniſſe, Intelligendum hic ὅταν ποιῆτε, *Quoties Feſtas cœnas habetis, & more ſolito iſto paſtentio eas clauditis*: ut extra Judaïcas Cœnas Feſtas & poſtcœnia, non ſit definitum imperium ſeu præceptum Chriſti, communicandum eſſe per Symbola panis & vini verbis illis, Hoc facite, expreſſum: ſed ut inſti-

tuta

tuta tantum sit Cœna Dominica ex hypothesi moris Judaïci, quo cessante ipsa cesset.

XIII. Ex ista Dissertatoris Hypothesi tam Communicationem per Symbola in Cœna Dominica, quam convivationes Festas & postcœnia Judaïca, jugulat verbum illud Apostolicum Coloss. 2. 16. Ne quis vos judicet ob cibum vel potum, aut respectu diei Festi aut novilunii, aut Sabbatorum.

XIV. Neque ex dissertatoris Hypothesi Antiquationi Cœnæ Dominicæ, una cum Festorum Judaicorum & Cœnarum ac postcœniorum antiquatione, intercessit, Quod ut ipse disserit *Paulus gentium Doctor utilem ritum etiam ad Gentes perduxit, occasione usus alterius moris, quem eædem Gentes in falso Deorum cultu observaverunt: moris enim*, inquit, *erat apud eas, ut quoties quis sacrificasset extorum pars ei redderetur ad quam vocabat convivas*: (quod ex Aristophane, ex Scholiaste ad Plutum, ex Plauti Milite glorioso, ex ejusdem Pœnulo, & Virgilii Eclog. 3. doceri hic operæ precium erat, scilicet.)

ſcilicet.) Quia *Proprie*, ſi Diſſertatorem audimus, *Hebræos quibus mos erat celebrandi talia poſtcœnia Chriſtus excitatos voluit*, &c. Et quod Gentibus de Cœna Dominica tradidit *Paulus*, *Præceptum nuſquam vocat ſed inſtitutum*, παρέλαβον ὁ & παρέδωκα.

XV. Traductionem Cœnæ Dominicæ ab Hebræis ad Gentes, quæ ſit inſtitutum deſtitutum præcepto ſeu definito imperio, fruſtra extorquet Diſſertator ex Pauli iſtis verbis, Accepi quod & Tradidi, 1 *Cor.* 11. 23. quia ſi verbis iſtis liberatur Chriſtianorum conſcientia, ut Cœna Dominica, quod ille urget, *facile ex cauſa probabili omitti ſe ferat*, liberatur quoque conſcientia ut facile ex cauſa probabili negligatur Fides mortis ſepulturæ & Reſurrectionis Chriſti: quia illam Tradidit Apoſtolus, eadem Traditionis formula παρέδωκα ὁ & παρέλαβον. Tradidi quod & accepi 1 Cor. 15. 3, 4. Corruet iſta verborum perverſione omnis divina Auctoritas Traditionis Apoſtolicæ ſcriptæ, quæ maximam partem facit Scripturæ

XVI. Mirari licet quomodo conciliari ista possint, non esse ritum Cœnæ Dominicæ apud Gentes novè institutum: sed ab Ethnicis, convivas post Sacrificium in falso cultu ad exta vocantibus, *amoto vitio, ad eos qui Christianismum susceperant traductum à Paulo*: Et esse eundem ab Hebræis etiam *ad Gentes perductum*, à Paulo, *occasione alterius moris quem Gentes in falso Deorum cultu observaverant*, Quomodo inquam conciliari possint; absq; syncretismo aliquo Hebræorum Christianorum cum Gentilium Deorum falso cultu ad lucrandos scilicet Ethnicos: quomodo quidem cum Hebræorum externo Mosaïco qui sua origine erat institutionis divinæ, utili syncretismo ad tempus usi sunt Apostoli: sed cum Ethnicorum in falso cultu moribus συγκρητίζειν nefas fuit.

XVII. Indocte confundit Dissertator ritum in falso cultu sacrum, cum convivatione extra cultum & tempus cultus falsi, quam veteres Christiani præmittebant, *cum gratiis pro creatione rerum, ac nominatim panis vinique*; ante

ante postcœnium sacrum, in quo erat mortis Christi commemoratio. Convivatio illa (qua veteres illi Christiani *juxta Christi præscriptum Luc.* 14. 3. *divitum sumptu meliuscule excipiebant pauperes, unde ἀγάπης nomen*) erat Adiaphorum Civile, cui libere annectebatur postcœnium sacrum: ut si postcœnium sacrum non esset ex Traduce illo, præpostere ex eo censeretur esse Convivatio civilis.

XVIII. Libere cum illa convivatione civili Christianorum connexum fuisse postcœnium Cœnæ Dominicæ, & hodiè rite ab illa separatum: docet consilium Apostolicum, quod Corinthiis scriptum, propter corruptos convivationis civilis mores: quo suasit, ut, relegata ad ædes privatas convivatione, servaretur in cœtu Ecclesiæ tantum Cœna Dominica, ritu sacro communicationis institutæ per symbola panis & vini, 1 Cor. 11. 20, 21, 22. 33, 34.

XIX. Ex Dissertatoris hypothesibus, quandoquidem Cœna Dominica est ex Traduce (vel Institutionis

inter Hebræos antiquatæ cum antiquatis ipsorum Cœnis sacrificialibus Festis, & postcœniis: vel moris alterius inter Ethnicos observati in falso Deorum cultu, qui jam inter Chri. anos exolevit:) Antiquatam quoque esse ipsam necesse est, sicut Baptismum aquæ antiquatum audivimus, hypothesi simili; ut non necessario Christianis communicandum sit per symbola panis & vini, præcepti alicujus divini religione: ac fiat communicatio illa per symbola extra *obedientiam præceptorum Dei quæ in Christianismo totum facit.*

XX. Dissertator ille pergit προφάσει disputare, *Dari nonnunquam ob causas justas Communionis Symbolicæ intermissionem: Æquum esse ubi conflictus est, signa credere rei significatæ, putamen nucleo:* Quis negat? Sed hac προφάσει conatur hoc efficere, *ut facile ex causa probabili omitti se ferant* sacra Cœnæ Dominicæ symbola; atque ut de illis idem fiat quod factum est de *Serpente ænæo à Mose facto, quem quod in non rectos usus vulgo verteretur*

fregit

fregit Rex Ezechias: quod iniquissimum est postulatum;

XXI. Ut intercedamus huic rituum sacrorum vetustatis demonstrationi iniquæ, ob quam cogitandum sit de Baptismi & Cœnæ Dominicæ antiquatione in Religione Christiana, *ut* scilicet *liberius solutiusque exerceri possit dilectio, illa quæ in Christianismo totum facit*, demonstrandum est, nunquam, absque Sacramentis visibilibus seu sigillis annexis, institutam fuisse & imperatam à Deo Religionem, in quacunque vel Fœderis operum, vel Fœderis gratiæ Veteri aut nova visibili œconomia.

XXII. De Oeconomia visibili Fœderis operum ante lapsum, ostensum est præcedenti Disp. Thes. 10. & 11. habuisse illam Verbo promissionis Legalis annexum Sacramentum Arboris Vitæ obsignans vitam æter-cœlestem.

XXIII. In Oeconomia Fœderis gratiæ Veteris ante Christum annexa Verbo Sacramenta vel fuere Communia, & Vetustissimæ periodo illi

li temporis ab Adamo ad Mosem, & Veteri à Mose ad Christum: vel Mosaïcæ œconomiæ Fœderis propria. Communia illa, fuere Sacramenta sacrificialia, sanguinis aspersio, Victimarum ἐμπυρισμὸς in Altari victimas sanctificans, Convivatio ex victimarum carnibus: quibus visibilibus symbolis Deus Sacrificantibus ex Fide, & Donis ipsorum, testimonium perhibebat quod justi essent, Heb. 11. 4. Fides Sacrificantium necessario supponit Verbum Dei, est enim ex auditu Rom. 10. 17. Et quidem appropriate Verbum institutionis connexæ & individuæ Sacrificiorum & Sacramentorum Sacrificialium. Quia absque Sacrificiorum institutione divina, & oblatione imperata, non potuerunt offerri ex Fide, Colos. 2. 22, 23. Mat. 15. 3. 6. Et absque Sacramentis annexis, ut sigillis institutis Justificationis ex Fide, Fides Sacrificantium non fuisset ἐλπιζομένων ὑπόστασις, Heb. 11. 1.

XXIV. Propriè Oeconomiæ posterioris periodi à Mose ad Christum Sacramenta,

cramenta, fuerunt Circumcisio & Paschalis Coena, Paschatis Sacrificio annexa. Circumcisio quamvis non esset ex Mose sed ex Moše sed ex Patribus Joh. 7. 22. tamen, ex illo tempore, quo institutum est in Exodo Pascha, una cum Paschate fuit character proprius œconomiæ Mosaicæ, & alterum publicum Sacramentum Justificationis ex Fide, & Sanctificantis gratiæ, cum Sacramento Paschatis: non ita nude obsignans Fidem & Spem Ecclesiæ, ut communia illa sacramenta Sacrificialia: sed illam cumulans gemino quasi arrhabone: viva scilicet demonstratione veritatis promissionis geminæ Abrahamo factæ, De multiplicando in Isaaco semine: & de ejusdem vindicatione in libertatem, & Cleruchia terræ Canaan: ad roborandam expectationem Messiæ ex illo semine nascituri, in terra promissionis sancta.

XXV. Tempore illo quatuor sæculorum, inter institutum Pascha & institutam Circumcisionem, Sacramentum Circumcisionis domesticum tantum fuit in familia & cognatione Abrahami:

Abrahami: illis, cum indicio genealogiæ ex qua, & terræ in qua, nasciturus esset Messias, obsignans (familiarius, quam reliquæ Ecclesiæ præputiatorum Deo vero sacrificantium,) Justitiam Fidei: Non serviens, ante institutum alterum Sacramentum Paschatis, rejectioni & eliminationi præputiatorum extra Ecclesiam, quæ tantisper matura non erat, Gen. 15. Interim reliqua præputiatorum Ecclesia, non erat absque Sacramentis Sacrificialibus: quæ, Paschatis demum institutione instaurata in Gilgale, Josuæ 5. vindicata atque asserta fuerunt solis Israelitis, ut porro penes illos solos maneret, cum Veteri Religione, jus sacrificandi, cum annexa Sacramentorum usurpatione legitima.

XXVI. Neque communia illa Institutioni Sacrificiorum annexa Sacramenta, Neque propria Israelitarum Sacramenta Circumcisio & Paschalis cœna, Sacrificio Paschatis connexa, unquam omissa facile fuerunt probabili de causa, in populo Dei, citra Ecclesiæ aut defectionem & Apostasiam,

am, aut ſervitutem & captivitatem: quemadmodum V. G. Iſraelitarum ſacrificia ceſſarunt in ſervitute Ægyptiaca, & in captivitate Babylonica, non ceſſante circumciſione: Et per Apoſtaſiam (vindicatam circunductione per deſertum, in quo deerant pecudes ad ſacrificia, annos circiter 40.) ab ordinato Sacerdotio Aaronico, ad tranſitum Jordanis, contigit Ceſſatio & Circumciſionis & Paſchatis: quorum inſtauratione, repetita fuit, tantiſper interciſa per divinam indignationem, populi ſantificatio. Joſuæ 5. 6——9.

XXVII. Contra Hiſtoriæ ergo veritatem eſt, quod Diſſertator, alias ob cauſas probabiles, facile, totis Annis 40. omiſſam pronunciat Circumciſionem tam ſeverè præceptam & Paſchalem cæremoniam. Neglecta enim per Impietatem Circumciſione, debuit ceſſare cum circumciſione uſus Paſchatis, & ceſſavit neceſſitate invincibili, defectu carnium in deſerto durante.

XXVIII. Hallucinati autem sunt (cum Veteribus, Justino Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, Theodoreto Græcan: affect: serm. 7. de Sacrificiis: Hieronymo in Jeremiam cap. 7. aliisque) recentiores illi Theologi qui Sacrificiorum νομοθεσίαν, Legislationem, existimant demum cœpisse cum ordinatione Aaronici Sacerdotii, & ex locis Jer. 7. 22. Amos 5.25. Act. 7. 42. volunt ipsa Lege Mosaïca Deum sacrificia verius indulsisse quàm imperasse: Quos refellunt abunde illa quæ dicta sunt de Sacrificantium Fide Sacramentis sacrificialibus à Deo obsignata.

XXIX. Demonstrata ab Adamo ad Christum perpetua Sacramentorum visibilium connexione cum instituto & imperato divinitus cultu: quâ cumulatum fuit Verbum promissionis Gratiæ Justificantis & Sanctificantis: Asserimus facere omnino ad necessariam amplitudinem Gratiæ Novi Testamenti, ut non destituta esset suis sacramentis

mentis, prædicationi verbi usque ad finem mundi annexis, Institutio Religionis Christianæ. Ac concludimus quamvis Antiquatis Veteribus Sacramentis, non potuisse nec debuisse antiquari Sacramentorum & Sigillorum usum: Neque pro Sacramentis in Christianam Religionem traductos esse veteres ab Hebræis aut Gentibus ritus, ut tandem illi quoque antiquarentur εἰς φθοράν, τῇ ἀποχρήσει Col. 2.22. Sed ritus qui censentur carnaliter veteres, nova Sacramenti institutione dedicatos & Circumcisioni ac Paschati substitutos usque ad finem mundi, definito imperio.

FINIS.

ERRATA.

PAge 10. l. 9. & l. 11. p. l. 20. *verſe* l. *verſu.* p. 12. l. 10. *dicitur* l. *dicimus.* l. pen. poſt *ἀγαθὸν* add. *τηλιοὺ*, p. 13. l. 1. *τῶντε* l. *τῶτε*, p. 15. l. *interdi* l. *interdix.* l. 17. *preſente* l. *preſunte.* p. 19. l. 2. *reſtrixerunt* l. *reſtrinxerunt.* p. 21. l. 1. *Brochth* l. *Broughton*, p. 23. l. 13. Nota Marginalis in Textum inſerenda. l. 15. *τοιοῦτε* l. *τοιοῦτο* ib. *φάγετε* l. *φάγωτε.* p. 25. l. 5. *Plautum* l. *Platum* l. 8. *ἐν* l. *ἐι.* l. 15. *ἐστὶ* l. *ἐχτὶ.* p. 27. l. 2. *paticip.* l. *particip.* p. 30. l. 14. *ἀναλήψ.* l. *ἀναλήμ.* p. 59. l. 18. *jura* l. *jure.* p. 77. l. 3. *τολύτιμον* l. *τολύτιμο.* p. 79. l. 15. *petrafit* l. *pertrafit.* p. 80. l. 23. *out* l. *aut.* p. 82. l. 8, 9. *quibus cum* l. *quibuſcum.* p. 85. l. 22. *bene dixiſſe* l. *benedixiſſe.* p. 88. l. 11. *ante ἀφιοῦσιν* l. *ἀφίᾶσιν.* l. 12. dele *ἀφιοῦσιν.* l. 15. *τὰς* l. *τὰς.* p. 91. l. 2. *ἐφεστῶσι* l. *ἐφεστῶς.* p. 99. l. 18. *ique* l. *eaque.* p. 100. l. 22. *tandiu* l. *tamdiu.* p. 101. l. 18, 19. *σύσσημα παράγει* l. *συσσήμαντα φάγεται.* p. 102. l. 1. *Propterea* l. *Propterea.* p. 105. l. 20. *Concilii* l. *concilii.* p. 106. l. 3. & l. 11. p. 110. l. 13. *acritum* l. *ac ritum* l. 20. *ſi quidem* l. *ſiquidem.* p. 113. l. 18. *ἐκκλεσία* l. *Eccleſia.* p. 191. l. 2. *præcis* è l. *præciſe.* p. 195. l. 15. *Quid* l. *Qui.* p. 197. l. 18. *Fulgenitus* l. *Fulgentius.* p. 198. l. 20. *nobus* l. *nobis.* p. 103. l. 1. *Theologorum* l. *Theologicarum* l. 13. *demonſtrati* l. *demonſtrari.* p. 104. l. 6, 7. *Regione Chriſtianinâ* l. *Religione Chriſtianâ.* l. 8. *Broughthonus* l. *Brought onus.* [Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.] p. 109. l. 10. *antiquarum* l. *antiquatum.* p. 110. l. 18. יהוה l. יהוה p. 111. l. 8. *dedicimas* l. *didicimus.* l. 17. *φάγετε* l. *φάγωτε.* p. 116. l. 7. *ficcat* l. *ficut.* l. 20. *crudere* l. *crudire.* p. 119. l. 4. dele *ſed ex hoſe.*